PAMFLET
853

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 853



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 853



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 853




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 853



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 853



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 853



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 853

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 853

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 853

IACOBI BASELII, FIL. DE OBSIDIONE BERGOPZOMII, AD EIUS URBIS SENATUM COMMENTARIUS.





BERGOPZOMII.

Ex officinâ Iacobi Canini, Civitatis Typographi, Anno CIↃ.IↃCIII.

853

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 853

DISTICHON CHRONICON.

AVTORIS.

OCtobrIs nonò posVIt qVI Castra CaLendas,
IdIbVs HIspanVs CoLLegIt Vasa NoVeMbrIs.

KONINKL.
BIBLIOTHEEK
TE 'SHAGE.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 853

AD LECTOREM.

TErritorii Bergensis ea pars, in qua civitas nostra condita est, nostrâ linguâ (ut habent autographa & apographa agrorũ antiquiora) Zoō appellatur. Ideò fortassis, quòd totius Brabantiæ ad Occidentẽ ora extrema, & quasi instita sit. Ab hac ergò territorii parte, quæ montosa, & variis collibus distincta est, nomen proculdubio accepit urbs. Errant itaq; Geographi, qui aquagium, sive fossam illam, quæ nostra demum memoria ducta est, (ut cespites è Bernardicis fodinis in urbẽ commodè subvehi queant) Zoom fluvium inscribunt, & ab eo nomen civitatem traxisse volunt. Nunquã enim Zoom fluvius extitit, & civitas idẽ quod hodie nomẽ semper obtinuit, etiam quum aquæductus ille nondum esset, quem (quà per urbem labitur) non fluvium sed Grebbam sive cloacam appellamus, extrà urbẽ verò non aliud quam aquæductus nomen accipit. Non malè igitur Montem Zomii, eadem ratione qua Montem Hannoniæ vel si mavis, BergopZomium eam dicemus. Si enim Iulius Cæsar Helvetiorum, Gallorum, & Germanorũ nomina ità Latinè exprimat, ut vestigia linguæ vernaculæ non obscurè extent, qualia sunt Ambiorix Cingetorix, Orgetorix, Caromandus, &c. non video quid obstet, quominus idem nobis liceat. Hæc volui, lector, nescius ne esses.

Vale.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 853



EPIGRAMMA EMBLEMATICVM AVTORIS. DESVMTVM EX versu 7. Psalmi 124.

Visco, arcu, pedicis, falcone & retibus auceps,
Effugiat ne quà, fervidus instat avi.
Libera & illa tamen celeri petit astra volatu,
Remigibusque alis dira pericla fugit.
Artibus, atque armis urbem tentavit Iberus,
Cassibus ut fieret præda cupita suis.
Artibus atque armis illusis, Optimus ille,
Maximus ille Deus, nos pius asseruit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 853



AMPLISSIMIS, ET PRAESTANTISS. VIRIS AC DOMINIS, D. ELIÆ LEONINO, PRÆtori, *Godifrido Guilielmidi, & Gerardo Moermano Coss. reliquisque Senatoribus, ac Quæstoribus Reipub. Bergopzomanæ. Dominis & Patronis suis colendissimis.* S.P.

ANte annos quatuordecim, viri AMPLISS. hic de nostrâ obsidione libellus à me conscriptus, & vestræ Amplitud. oblatus fuit, atque hactenus in vestris quoque scriniis delituit. Præstaret quidem illum porrò delitescere, & nocte perpetuâ premi, quam temerè in publicum venire, & risum fortassis nasutioribus movere, ob argumenti simul & styli sterilitatem, hoc præsertim sæculo, quo nil, nisi quod tersissimum sit, & ab omni parte perfectissimum, auribus lectorum gratum est acceptumque: Taceo exiguum hunc paucarum pagellarum, quem videtis, numerum. Verum ad argumentum quod attinet, unius fateor civitatis nostræ obsidionis historiam complectitur. At memoriâ hoc dignum videtur: Irrito conatu civitatem nostram à Principe Parmensi obsessam, & illum tot victoriis clarum Imperatorem , nihil præclari post nostræ obsidionis solutionem in Belgio gessisse. Si stylum libelli spectetis, ornatiùs forsan loquentē, vel ipse (quoniam jam cum ætate judiciū accrevit) producere potuissē: Sed illum malui turbulentum illud, quo natus est, tēpus

redolere,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 853

redolere, quam fucatum alieni temporis coloribus in lucem prodire. Exiguus autem & brevis quum sit, minus (ut spero) fastidii ac tedii lectori pariet rudis & inconcinna oratio. Liberum permitto suum cuique judicium. Mihi suffecerit, vobis non refragrantibus abortivũ hunc foetum edi, ut extet amoris illius, quo amplissimum vestrum ordinẽ amplector, vel qualecunque mnemosynon. Mense Martio proximo, octodecim anni sunt, quòd me Bruxellâ profugum, in vestram civitatem hospitem & peregrinum recepcritis, & Publico, quo hîc fungor, Muneri admoveritis. Ingratus sim, nisi eam Remp. in quâ dimidiũ ferè ætatis & vitæ meæ transegi, quo decet amore prosequar, & nisi eundem illum omnibus amorẽ, vel cum famæ quoq; meæ dispendio aliquo, declarare paratus sim. Statuerã quidẽ huic alium annectere cõmentariolũ, de rebus præcipuis quæ in urbe vestrâ, à primis hujus belli plusquã civilis contigêre principiis (ut & ipsi vos à me postulastis aliquando) ne solus hic scilicet, & incomitatus oberraret: Et ne solitudo hæc tantum misero suffunderet pudorẽ. Sed, modò id vobis non displiceat, periculum hic faciet maris ignoti, ut minori cum periculo me illi quandoque committam, si in sententiâ perstetis vos, mihique & otium & ingenium suppetat ad ea præstãda, quæ vel voluisse laudalibe est. Præclarum sanè & utile foret opus (meo quidẽ judicio) si quæ vos & passi estis, & toto hoc bello ipsi oculis vidistis, literis mandarentur. Nam quod primum & præcipuum in Historiâ est, exempla plurima peti hinc possent, Benè prudenterque administrandæ Reipub. eo præsertim tempore, quum tumultibus, seditionibus & turbis plena omnia. Varietas quoque rerum mirabiliter non solum lectorem, procul dubio, afficeret, sed & Dei. O. M. Providentiã in rebus gubernãdis, rerũque humanarum inconstantiam & mutabilitatem clarissimè

ſimè demonſtraret. Nobis ſaltem dulciſſimum eſſet, meminiſſe præteritorum, & intueri præſentia. Ipſe ego mirabiles in urbe veſtrâ vidi metamorphoſes. Vidi, quum nemo noſtrûm, non dico ab hoſte, ſed ab ipſo noſtræ urbis præſidio ſatis eſſet tutus. Vidi publica, vidi privata ædificia, ab inſolenti & furibundo milite, vel ipſo meridie, ſine ullo metu dirui, & in prædam verti. Nunc verò Civium, Militumque ſumma concordia, Civitatis muniendæ cura & ſumtus, Promontorium, Portus & Templum reſtaurata, Latinæ Linguæ Gymnaſium reſtitutum, Orphanotrophæum recens inſtitutum, Ædificia, quæ quotannis extruuntur nova, Bibliothecæ Publicæ conatus, Officina Typographica, ante hunc diem Bergopzomii non viſa, ut reliqua taceam, ampla ſatis indicia ſunt mutati in melius ſtatus veſtri, & Rempub. noſtram viris non deſtitui, quibus illa curæ ſit. Officina ſanè Typographica veſtra non parum me movit, ad libellum hunc typis veſtris cõmittendum, ut ſcilicet de Repub. veſtrâ tractaret id, quod primi typi veſtri in lucem darent. At ne verboſitate nimiâ vos offendam, deſino, unum hoc D.O.M. obnixè ac unicè rogans, ut Eccleſiæ vos & Reipub. quam diutiſſimè ſervet incolumes. E Muſæo noſtro, xxviii. Ianuarii die. Anno à partu Virginis CIϽ. IϽCIII.

VESTRÆ AMPLITVDINIS

Obſervantiſſimus cliens,

IAC. BASELIVS. F.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 853

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 853

IACOBI BASELII, FIL. DE OBSIDIONE BERGOPZOMII, AD EIVS VRBIS SENATVM COMMENTARIVS.



BSIDIONEM Bergopzomii descripturus, ejus situm, statumque qualis hodie est, & paucis antè annis fuit, perstringam: Quandoquidem id ab instituto hoc nostro neque alienum arbitror, neque vobis P.C. (quibus opellam hanc meam qualemcunque dedico, consecroq;) ingratū fore existimo. *BERGOPZOMIVM* igitur Ducatus Brabantiæ, totius Belgii nobilissimæ Provinciæ, civitas est, Dominii olim, nunc verò benignitate Caroli Quinti Caesaris, Marchionatus titulo insignis: Quæ Romerswaliâ & Toleto, Zelandiæ oppidis, Antwerpiam navigantibus prima ad latus sinistrum, orientem versùs occurrit. Non avorum solum, sed nostrâ quoque memoriâ, Hispanis, Gallis, Orientalibus, Anglis, Scotisque eam mercatoribus frequentantibus, emporiū nobilissimum fuit. Media siquidem est inter opulentissimas Belgii provincias. Brabantiam dico, Flandriam, Hollandiam, Zelandiamque. Prioris enim ipsa non contemnenda pars est: Antwerpia namqué, nostri orbis celeberrimum emporium, sex tantum miliaribus ab eâ distat. Reliquas tres, Flandriam scilicet ad Meridiem, Hollandiam ad Septentrionem, Zelandiam verò ad Occidentem in conspectu habet. Nec deest portus longè commodissimus, qui Suytlandiam, Noortlandiamq; (sic enim Australē, & Septentrionalem portus oram appellamus) medius intersecans, ad anfractum illum, qui passus tantum centum & septem ab urbe abest, in orientem con-

vertitur, sectusque in duo cornua Lingulam efficit, & intrà moenia recipitur. Cornuum quod ad Austrum est, hydromylæ circumagendæ, salinisque, quæ nunc in urbe sunt extructæ, aquandis servit, quod verò ad Septentrionem, navium receptaculum est. Ipsa urbs intrà pomeria passus bis mille triginta quinque patet. Aggere prætalto, fossâ prætereà & sepimentis ligneis, nonnullisque locis virgulteis, fabrilibusque etiam munita est. Varia quoque munimenta multâ humo congestâ ad urbis defensionem erecta sunt. Licet autem hodiè multarum ædium ruinis foedata miserè, & deformata sit, ædes tamen habitatas suprà mille continet. Sunt enim aliquæ, quæ non penitùs eversæ, effractis tamen tabulatis, ostiis & fenestris, habitari nequeunt. Ædes pulcherrimas, plateas, foraque habet amplissima, Nundinarium scilicet, Piscatorium & Frumentarium. Templum insuper fornicato opere ornatissimum. Marchionis Aula amplissima, & magno civitati ornamento est. Coenobium Vestalium, cognomento Divitum, in Nosocomium mutatum est: Quod enim extrà urbem erat Valetudinarium, ut cætera omnia ædificia, belli furor vastavit. Marchio Bergopzomanus Ioannes à Bergis, de mitigandis Reformatorum supplicijs in Hispaniam, ad Philippum regem, ab Ordinibus Belgij anno 1566. missus, eundē cum Montinio collega vitæ exitum sortitus, jussu regis, veneno sublatus dicitur. Ab ejus nece Bergensium res labi, retroque ferri coeperunt. Vidua enim, in gratiam Inquisitionis Hispanicæ, Fideles persequuta, eorum infantes, à Divini Verbi Administris baptizatos semel, rebaptizandos curavit. Alios in exilium ejecit, alios capitali supplicio affecit, alios fidem abnegare coëgit. Non tamen vel hac ratione Tyrannum Albanum delenire potuit: Qui aulæ pretiosissimam supellectilem, regiā poenè gazam æquantem, hastæ subjecit, redituque Marchionatus omnes, qui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 853

amplissimi erãt, fisco addixit. Marchio enim præter Marchionatum Bergensem, qui pagos complectitur xvii, arces tres, & Rugehillium (ubi nunc Guilielmostadium, ab Auraico Principe Guilielmo nomen sortitum) Comitatum quoque Walheimensem in Brabantia Gallicâ possidebat. Quæ omnia, Pace demum Gandavensi, hæredibus restituta sunt. Suytlandiam mare plus solito exæstuãs, anno 1570. aggere nudavit, nocte illâ, quæ secundum Novembris praecessit, totamque illam planiciem, quæ inter Portum & Continentẽ est, quotidianis fluxibus etiamnum inundans, Pacis quidem malam, sed belli tempore utilem civitati navat operam.

Priore bello civili Bergopzomium ab Hispanorum partibus stetit: Quo tempore parum abfuit quin à Zedis improvisò caperetur. Murum namque jam nonnulli eorum ad Australem molam superarant. Et nisi Italus quidã miles, qui civitati præsidio erat, dum per moenia benè manè obambulat & excubias lustrat, eos conspicatus esset, urbem procul dubio occupassent. Hujus igitur interventu detecti, & duobus è suis desyderatis, ac aliquot insuper vulneratis, relictisque, quas muro admoverant, scalis ad naves se (quæ in Schaldi erant) receperunt. Ex portu nostro solvit Classis illa; quæ Middelburgo obsesso, & in extremas angustias redacto postremam opem ferre conata, Illustrissimi Principis Auriaci auspiciis, ductu verò Lodoici Boisoti, Zelandorum Archithalassi (ejus qui Lugdunum Batavorum obsidione liberavit) non procul à Romerswaliâ, prælio navali, anno 1574. secundo Iannarii die, superata est. Pace verò inter Belgii Ordines, anno 1576. octavo Novembris, Gandavi factâ, & Ioanne Austriaco bellum renovante, anno 1577. octavo Augusti, dedente sese Germanorum præsidio, quod Hispanus imposuerat, operâ & industriâ Champinii, Cardinalis Granvellani fratris in Ordd.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 853

Confoederatorum poteſtatem venit. Germani arcem Woudanam quadragintà circiter militum praeſidio tenebant. Hanc Elias Leoninus (qui tum alæ equitum præfectus erat) ſummo manè occupat, præſidiarijs omnibus cæſis, uno ſolum excepto, qui nudus èlecto ſe proripiens Bergopzomium profugit, & ſocios (rem geſtā exponens) non parum conſternatos reddidit. Hanc igitur occaſionē arripiens Champinius, copias ſuas, quas non ita magnas, viâ militari, Antwerpiâ adduxerat, magno tympanorū, tubarumque ſtrepitu per ſylvam Bergenſem, ad coenobium, quod extrà Veſtalium (Beguttas vocant) portam erat, totam noctem raptando, hoc egit, ut Germani nihil aliud exiſtimarent, quam Belgas omnes, quotquot eſſent, ad ſe obſidendum veniſſe. Ortâ quoque luce, magnum navium numerum, merces Antwerpiam deportantium, vela facere conſpicati, bellicas eſſe naves omnes ſibi perſuadent, obſidionemque terrâ, marique parari autumant: Sibique ipſis nulla non pericula ſomniantes, etiam de civium fide ſubdubitant. Interim in urbem miſſus Iacobus Voſſius, civis quidam Bergenſis, partes ſuas ſtrenuè agit. Vires Champinii multis verbis magnificè prædicat, augetque: Ni ſe dedant, actum eſſe de omnium ſalute: Champinium jam moliri civitatis expugnationem: Miſſum ſe ab eo, monitum ut ſuæ vitæ conſulant, nec ſe eant perditum. Et ne vel minimo quidem ad conſultādum ſpatio dato, ad Champinium ſe redire velle ſimulans, Germanis jam ſatis ſuperque perculſis, tantum miſeris metum incuſſit, remque eò deduxit, ut Fuggerum tribunum, & civitatem ipſam Champinio, armaque inſuper omnia tradiderint, ne viatico quidem accepto, quò ſe domos ſuas conferant. Poſt pacem Gandavenſem, Reformatæ Religionis homines primum clam, poſteà verò publicè, conniventibus Ordd. imò & templa concedentibus, totâ Brabantiâ, Flandriâque conciones habere coeperant.

perant. Id demum & Bergopzomii aggressi sunt, quod multorum motuum occasio in civitate extitit. Dum enim alii, præsertim Sacrificuli, conciones istas haberi nolunt, alii vero habendas esse censent, rixæ inter cives & altercationes plurimæ. *Joannes Withemius*, Dominus Berselius, anno 1578. trigesimo primo Ianuarii die, uxorem duxerat *Margaretam Merodiam*, Ioannis à Bergis in Hispaniâ sublati ex sorore neptem, & hæredem. Summo is odio Religionem Reformatam prosequebatur. Tentaverat ergò aliquoties militem clam in urbem adducere, ut Reformatos ab exercitio Religionis suæ prohiberet, ipsosq; ex urbe ejiceret. Nec deerãt Sacrificuli, qui equo (ut dicitur) currenti calcar adderent. Quum igitur Marchio,[1] & Sacrificulorum collegia, aliique renascentem Evangelii Lucem omnibus modis extinctam cuperent, Reformatisq; carceres, exilia, supplicia, mortemque minitarentur, id suis in Religionem odiis effecerunt, ut quum jussu Archiducis Matthiæ, qui literas eâ de re ad Senatum 26. Septemb. anno 1578. dederat, unum tantum templum Reformatis concessum esset, cæteraque omnia à Catholicis (quos dicunt) tenerentur, milites præsidiari, qui inter has turbas ab Ordd. Bergopzomium missi erant effractis templorum valvis, in Imagines & reliquam Missaticam suppellectilem sæviendi occasionem hinc arripuerint. Factum id est octavo Novembris, anno 1580. Bredam interim proditione hostis occupat. Et ne Bergopzomium simili ratione eidem cederet tandem, Lagardius, Gallus, connivente (ut ferebatur) Principe Auriaco, & conatum juvantibus uno atque altero militum præfectis, qui in urbe erant, clam cives, in urbem admittitur, atque illi præsidium Gallicum imponit. Ægré id tulit Marchio, qui jam nõ minus Gallorum, quã Reformatorum odio flagrabat. Quum Galli igitur, ob non soluta stipendia seditionem facientes, multa insolenter agerent, Woudam se in arcem

 recipit.

recipit. Hinc (instinctu & suasu sacrificuli cujusdam) hostem in auxilium vocatum ad urbem ducit, ut eam illi in manus tradat, duorum civium proditorum ope nixus. Septum ad Vestalium portam erat, ut aquæ ductu (quem zoom fluvium perperam nonnulli appellant) in cloacam (quam Moergrebbam vulgò nuncupant) omnium purgamentorum totîus civitatis receptaculum immisso, sordium colluvies per portum expurgeratur. Septo igitur hoc recluso, hosti aditum in urbem aperuerunt. Et certè urbe potitus fuisset, nisi metus nescio quis proditores istos cives in fugā conjecisset. Conventum enim erat, ut illi intromissum militem ad portā Ligneam, quam vocant, deducerent quæ infirmior erat, & nullo labore effringi poterat. Noortlandiam nostram hæc spectat. Nomen autem à ligno habet, quod curribus rure ad vectum in naves hîc in Hollandiam vel Zelandiam transportandum imponi solebat. Objecto munimento, quod exitum omnem occludit, nulli nunc est usui. Dum verò fugiunt, & in cloacam (pluribus enim locis fornicata hæc est, quà subter domos, & viarum strata ducitur) sese abdunt proditores, stabat hostis, qui jam forum Frumentarium portæ & septo (de quibus diximus) proximum occupaverat, viarum ignarus, quò se verteret nescius. At audi casum mirabilem. Inter hostium præfectos quidam erat, Sebastianus nomine, ejusdemque nominis Gallorum, qui civitati præsidio erant, præfectus quoque fuit. Quum verò ad arma conclamatum esset, miles quidā Gallus, qui sub Sebastiano illo nostro merebat, cum armis ad Vestalium portam tendebat eo consilio ut sociis, quos illîc stationes habere arbitrabatur, se jungeret. Incidit hic in hostem forū, ut diximus, occupantē, hac enim ad portam illam via est. Rogatus Gallicè, Quis esset, Miles, inquit, Sebastiani. Illi commilitionē putantes, & (quià videbant aliunde advenire) viarū illum situsque civitatis gnarum existimantes, rogabant: Quà (utar enim verbis illorum)

A la porte de Hou, iretur. Sic enim, qui Gallis mos est, corrupté Belgicum illud, *De Houte Poorte*, reddebant: Ille socios existimans (quod in tali rerum perturbatione plerumque fieri videmus) pro *La porte de Hou*, *La porte de Wou* intelligens, Me, inquit, ducē sequimini: Hostēque non ad Ligneam, sed Woudanam portā deducit. Hæc firmior erat, quam ut instrumentis iis, quæ secum apportaverant, effringeretur, utut sedulò in hoc incumberent. Hîc Gallus ille tum ex madefactis vestibus, (fossam enim tranaverant) tum ex instituto hoc animadvertens hostes eos esse, proripuit sese. Nostri milites de fugâ cogitabāt. Imò erant qui se ex urbis moenibus præcipites darent; Principique Auraïco (qui tum temporis Antwerpiæ erat) renunciarent, Bergopzomium ab hoste captum. Hic veró Valkenburgi vigiliarum præfecti, quum cives nondum à Gallis seditionē concitātibus armis exuti essent, & Laleinii Gallici cujusdā præfecti, virtus enituit. Qui uno ferè tēpore, diversis itineribus, paucis comitati hostem fortiter aggressi sunt: Nec solum ab effractione portæ prohibuerunt, sed & in fugam propulerunt. Magnus hîc hostium numerus captus & cæsus. Capti quoque duo isti proditores cives, de quibus supplicium sumtum, postquā conscios indicassent. Illorum quidem nomina hæc sunt. Eustatius Adriani, & Antonius Cornelii. Prior faber lignarius, posterior figulus erat. Inter conscios veró, & hortatores, authoresque sceleris nominarunt Marchionem ipsum (cujus nomine nobilis quidam suspendium illis minatus esset, nisi imperata facerent) Stephanum Langricium sacrificulum, Margaretam tinctricem Iesuitā, ac alios nonnullos. Diffugiunt reliqui, & quà irrepserant in urbem evadunt nunciaturi rei eventum Marchioni, qui cum equitibus ad portam Ligneam stabat, omnemque movebat lapidem, quò illam effringeret: Adeò ut parum abfuerit, quin pulvere tormentario propugnatoribus de-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 853

ficiente, in urbem vi irruperit. Dubius hærebat, nec quid ſibi vellet illa ſuorum, quos in urbe eſſe ſciebat, mora, ſatis intelligebat. Auditâ verò illorum fugâ & cæde, dolore & irâ percitus Woudam, unde venerat, ſe recepit: Quumq; nihil poſſet amplius, arcē hoſti permiſit. Accidit hoc quinto Decēbris die ſub ipſam aurorā, anno millesimo, quingenteſimo octuageſimo primo. Et hunc quidem exitum Marchionis conatus eſt ſortitus, quem totius Marchionatus devaſtatio, (vel hoſti miſeranda) qualem hodie videmus, ſubſequuta eſt. Marchio ipſe hoſtis declaratus, & bona ejus omnia fiſco Ordd. addicta. Arcem interim Woudanam noſtri poſt menſes quinque, magna tormentorum vi concuſſam, dedentibus ſeſe præſidiariis, recuperarunt. At Galli arcem Burchvlieranam, quò Marchioni ægrè facerent, incendunt. Et quia cives fuerant, qui civitatē hoſti prodere tentaverant, nullos non proditionis accuſant. Multa non inſolenter ſolum, ſed crudeliter quoque in cives perpetrant. Adeò ut major pars civium, bonis omnibus relictis, clam in Hollandiam, Zelandiamque profugerent. Hi quicquid reliquerant, militibus in prædam ceſſit. Qui ut ad ſummam inſolentiam nihil reliquum facerent, ædes inſuper profugorum diruerunt. Et quoniam in ruinarum noſtræ urbis mentionē incidimus, paucis referam, quantū ſit mutata ab illâ, quæ antè exortum hoc bellū fuit: Pagi, vici, villæque omnes, xenodochia, coenobiaque omnia, quæ extrà urbem erant, atque ipſa quoq; ſuburbia, quæ ampliſſima fuērūt, ità ſunt ſubverſa, ut ne veſtigia quidem eorū ſuperſint. Bergenſis ſylva per belli tempeſtatē arboribus ſuis ſpoliata, ne ſylvæ quidē ſpeciē præ ſe fert ampliùs. Salinæ quæ in aggere Boreali erant, igne à Zirizæis, priore bello civili, ſubmiſſo in cineres ſunt redactæ. Figlinarū, quæ ad portā Ligneā erant plurimæ, ne rudera quidē invenias. Quūque nulla feré civitas totius Belgii ſylvis, pomariis, omniſque

nisque generis arboribus in quincuncem digestis, magis ornata fuerit, intrà primum tamen ab urbe lapidem nulla arbor, cujuscunque generis restat. Animus referre horret, quæ & quanta mala, à militibus propter non soluta stipendia tumultuantibus, sæpius passi fuerint cives, dum illos hospitio excipere non solum, sed & victum, omniaque necessaria subministrare coguntur. Miserum sanè spectaculũ, præter Minoritarum templum, & sacella aliquot, ædes quingentas, & plures quoque, in ipsa urbe eversas cernere. Quod quidem malum (ut diximus) à Gallis, integrũ ferè annũ octuagesimum primum seditionẽ cõmoventibus, initium cepit: Verum nihilo segnius nõ ab Anglis modò, Scotisque, sed & à Nostratibus quoq; militibus longo tempore continuatum fuit. Quos nullo modo excusandos arbitror, vel eo nomine, quòd in populares, & ipsiûs Patriæ viscera tam atrociter sævierint. Verum ut ad institutum nostrum revertamur: In Brabantiâ Flandriâque feliciter pugnat hostis. Desperatis itaque Brabantiæ rebus, in Noortlandiam nostram mare, diversis locis soluto aggere, immittitur, ut Oceano utrãque portus oram occupante, via hosti, ad portum intercludendũ, eriperetur. Licet ergò multò aliter Marchionis conatus cecidisset, quã speraverat hostis, tamen ad ingeniũ & consuetas technas, post annũ unum atque alterum rediens, idem quod per Marchionẽ tentaverat, per Beerwoutium urbis Præfectum aggreditur. Lagardio hic ab Alenconio, cum præsidiariis Gallis, in castra tandem evocato, anno 1582. mense Majo, in Præfecturâ successerat. Rege siquidem Hispaniarum vigesimo sexto Iulii, anno 1581. ob crudelitatem & tyrannidem ab Ordd. Belgii abdicato, Franciscum Valesium, Ducem Alenconium, Galliæ regis fratrem in Ducem Brabanti elegerant. Paulum autem Boboquam, Italum, Steenbergæ Præfectum, præsidiarii nostri captivum adduxerant. Hic ut erat vafer, eò tan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 853

dẽ Beerwoutium pertraxit, ut civitatẽ & propugnaculum Valkenburgum (reliqua enim tum temporis nondum erant) hosti se traditurum promitteret. Valckenburgum igitur, Propugnaculi Præfectum, in urbem frustrà evocat. Ille enim venire pernegat. Fides siquidem Beerwoutii jam tum illi suspecta erat, ut & multis aliis.

Ille verò videns hac non succedere, idem aliâ aggreditur viâ. Petit milites aliquot in propugnaculum admitti. Caussabatur, se ab exploratoribus accepisse, hostem propuguaculi expugnationẽ moliri, & præsidium infirmius esse, quã ut adversus hostium impetum se, & propugnaculum defendat. Sed surdo canit. Beerwoutius sedulò instare: Eliam Leoninum, Prætorem urbis, Godefridum Guilielmi, Consulẽ, & Franciscum Pauli Concionatorẽ, missitare, qui eò illum adducant, ut militem recipiat. Illi verò dolum, proditionemque subodorãtes, imperata non faciunt: Quin contrà Valkenburgo authores sunt, perstandi in sententiâ. Interim varii rumores (ut fit) de Beerwoutio sparguntur. Valkenburgus quoque, & allii nonnulli, quid rerum ageretur, Ordinibus significant. Ordd. ergò de ejus fide & ipsi subdubitant. Hemmerus Vir nobilis, Baxiique, Paulum & Marcellum dico, qui civitati præsidio erant, Beerwoutium observãt, & ne quid in detrimẽtum civitatis agat, sedulò cavent. Ille per exploratores ait se cognovisse, magnum plaustrorum numerum esse in itinere, quæ hosti, Antwerpiã obsidenti, omnis generis cõmeatum subvehãt, & nullo labore a nostris intercipi queant, si modò, eruptione factâ, ductores, qui pauci essent, obtruncaverint, Nocte igitur portas recludi imperat, quò militẽ emittat, Sed quià eo consilio facere id videbatur, ut equites pedites que in spem prædæ ex urbe eliceret, eosque hosti fortassis mactandos objiceret, atque ita civitatẽ omni præsidio nudatã hosti expug-

nan-

nandam offerret, negant se hoc permissuros præfecti. Vrbi se præsidio missos esse, non plaustrorum, quæ hosti commeatum subveherent, direptioni: Et si fortè alias cō-sultum id videri possit, non tamē hoc tempus, qui rerum status est, illud permittere: Iniquissimum esse, propter incertam exiguæ prædæ spem, urbem tantis periculis exponi: Meminerit hostē in viciniâ esse. Tandē verò Ordd. de ejus perfidiâ plenius edocti, illum ad se in Hollandiam evocant. Lupum ille auribus tenet, animusque, (ut qui in dubio esset) facili momento hac illac impellitur. Videt nihil, quod ad proditionem faceret, ex animi sententiâ succedere, & fraudem, quam hactenus texerat, ne Ordd. quidē latêre. Si in Hollandiā se conferat, suæ vitæ timet: Si neget ad Ordines accedere, proditionis reum se ipse facit. Ad hostem ergò transfugere statuit. Quò autem præsidiarios fallat, scapham conducit, assumtoque uno tantum famulo, Hollandiā circà vesperā se petere simulat.

Et jam ad Toleti ostium pervenerat, quum Antwerpiam versùs navigationem instituere nauclero imperat, esse enim quod ageret in classe, quæ contra hostem in Schaldi excubabat. Obtemperat ille. Vbi ad eam Flandriæ partē, (Doelium vocant) quæ ab hoste tenebatur, ventum erat, in littus scaphā dirigi iubet. Excusante se nauclero, quòd is locus ab hoste teneretur, mortē, nî faciat, minatur. Atque hic quidē Beerwouticæ proditionis exitus fuit. Supplicii verò loco, quod hac ratione effugere visus est, illi procul dubio nunc est, re ipsâ experiri, quam verum hoc sit, vulgò quod dici solet, Proditiones quidem ipsas Principibus esse gratissimas, acceptissimasque, omnibus veró à naturâ insitum, ut proditores cane pejus & angue oderint. Paulò post, 17. scilicet Augusti anno 1585. Antwerpia hosti deditur. Confoederati ergo Belgii Ordd. Elisabetham Angliæ

reginam,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 853

Reginam, de auxiliis interpellant, certisque conditionibus cum eâ transigunt. Robertum Dudlæum, Leicestriæ Comitem, illa cum auxiliis, quæ promiserat, in *Belgium* mittit. Ordd. hunc Provinciis Confoederatis omnibus præficiunt. Mortuo vero Domino Marketta, qui non ità pridem ex Flandriâ advenerat, famem in Yprensi obsidione plusquam Saguntinam passus, quique in locum Beerwoutii successerat, Bergopzomii Præfectura Philippo Sydnæo, Anglo, Equiti, Hiberniæ Proregis filio, viro doctissimo, anno 1586. commissa est. Flissingæ is, atq; omnium Zelandicorum militum Summus Præfectus, è vulnere, quod in obsidione Zutphaniensi fortiter pugnans acceperat, Arnhemii cum magno Reipub. dolore obiit. Ab eo autem tempore Anglorum præsidio, sub Ordinum tamen imperio, civitas nostra credita est. Sub quibus nunc tandem à veteribus malis paululum respirare videtur. Ædes certè nemo amplius demolitur: Imo multæ, quæ ruinis erant proximæ, restaurantur.

Brabantiâ autem totâ (uno Bergopzomio excepto) sub jugum missâ, præsidiarii nostri milites crebras instituerunt excursiones, eo præsertim tempore, quo Princeps Parmensis copias suas omnes Dunkercam evocarat. Hîc enim præstolabatur classis Hispanicæ adventum, apparaveratque ingentem & ipse classem, minorum ferè navium. Rex siquidem Hispaniarum Philippus magnum navium apparatum in Lusitaniâ coegerat, ex qua regem Antonium recens expulerat. Dunkercæ igitur, oppido Flandriæ maritimo, Parmensem præstò esse jusserat, ut classi Hispanicæ, quæ majorum erat navium, se jungeret. In animo namque habebat, semel omnes hæreses (ut ipse in postremo jubilæi edicto air) omnesque Sathanæ ministros ipsã Angliã præsertim multo Sanctorũ Martyrũ sanguine foedatã, cunctarumq; pestiferarũ sectarũ seminarium, eradicare stirpitùs. Facere hoc, Sacræ, Apostolicæ,

licæ, Romanæ Sedi debitã obedientiam, zelumque illum, quo Religionis propugnator, & defensor totus ferveat. Et certé talis hic fuit apparatus, qualem Oceanus noster antehac nunquam viderit. De classe hac libellus Michaëlis Eysingeri, Austriaci, ejus qui Leonem Belgicum nobis edidit, Coloniæ impressus extat. Hunc consulant qui accuratiorem ejus descriptionem postulant. Hoc unum addam, tantam hinc, qui se Catholicos dicũt, Religionis Reformatæ exstirpandæ concepisse spem, ut Eysingerus ille, sub calcem libri, addere non dubitaverit distichon, quod sequitur. Ad Anglam, inquit, & Ejus Asseclas.

Tu, quæ Romanas voluisti spernere leges,
Hispano disces subdere colla jugo.

Sed triumphum ante victoriam, imò ante conflictum ipsum cecinit miser. Primo enim congressu, non procul ab Edistonio, oppido Angliæ, capitur Petrus Valdesius, Baeticæ classis Thalassiarcha & summus praefectus, cum prætoria suâ navi, quae milites vehebat 304. nautas 118. aenea autem tormenta 50. Eodemque tempore triremes amissæ quatuor, atque alia quoque navis immensæ magnitudinis, immisso ab Anglis igne, deflagravit. Caletum nihilominùs tandem appulsam, & in anchoris stantem, toti mundo formidabilem classem Angli secundò aggrediuntur, aestuque ac vento secundis, naves quatuor pice, sulphure, variâq; materiâ, igni fovendo accommodâ, stipatas, accensasque in illam dirigunt. Vt incendium fugiant Hispani, anchoralia praecîdunt, seque in altùm dant, relictis, unâ atq; alterâ, magni momenti navibus in praedam. Magnis animis Angli insequuntur, nec à majorum tormentorum displosionibus vel minimum tẽporis punctũ cessant, adeò ut plurimas ex hostilibus navibus ità mutilaverint, ut mari hausto aliæ submersæ, aliæ verò captæ fuerint. Qua de re libelli quoque

editi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 853

editi sunt. Nec suis laborantibus auxilio Parmensis venire potuit. Hollandi enim, Zelandique portum Dunkercanum classe objectâ ita sepserant, ut classem, quam instructissimam habebat, non eduxerit. Dum autem septimanas aliquot Hispanicæ classis reditum frustrà præstolatur (cujus reliquiæ non jam Angliam, non Belgium, sed Hispaniam votis omnibus, summisque conatibus petebant) quotidiè ad ipsum Brabantorum querelæ Dunkercam deferebantur.

Clamitabant hi, omnibus *Brabantiæ* civitatibus in gratiā receptis, devictisve, unum restare Bergopzomiū, latronū deterrimorum speluncam: Hinc magno numero pedites, equitesque emitt quotidiè, qui mercatores ad se cōmeantes, & quæ ad cives suos alendos pertinēt importantes caperent: Nec hos solum, sed ipsos quoque cives & agricolas suos in vincula conjicerent, Bergopzomiumque raperent, nonnisi pretio maximo redimendos. Et quidem tolerabilius fore hoc malum, si in oppidis saltem tuti essent: Negare hoc *B*eeringium Eburonum, Vilvōrdium, Geldernacumque Brabantorum, capta & direpta. Pagos, vicosque omnes per hos rebellibus tributarios fieri: *S*i qui verò tributum pendere nolint, eorum pagos incendiis deformari, abigi pecora, praedia diripi, colonos in captivitatem abduci. Latitare illos in sylvis & dumetis: Rarò apertâ vi agere quicquam: Si se illis opponere velint, quærendum esse hostem, ut vincatur, nec inveniri. Si Bergopzomio admoveat illum tot maximarum urbium expugnatorem exercitum, gaudium, quod ex classis Hispanicæ discessu concepissent hostes, in luctum mutatum iri. Quin Bergopzomio capto, viam sterni ad invadendas Insulas Zelandicas omnes: Vno sanè labore Toletum & Bergas capi posse. Vrebat hominem fugatæ classis Hispa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 853

Hispanicæ, & Angliæ (quam jam imaginatione invaserat) ex faucibus ereptæ dolor. Et malè apud Hispanos audiebat, quòd Classi Hispanicæ laboranti opem non tulisset. Quò igitur notam ignominiæ suo inustam nomini deleat, Bergopzomium in potestatem redigere statuit. Ab hoc itaque tempore, varii rumores de obsidione Bergopzomii non in Belgio solum, sed in ipsâ quoque Angliâ spargi. Adeò ut Regina, literis 27. Augusti, anno 1588. ex arce Groenwicensi datis, Ordd. hac de re certiores reddiderit. Sub initium autem mensis Septemb. spe omni de classis reditu sublatâ, quum Dunkercâ exercitum in Brabantiam duceret Parmensis, tum verò uno omnes ore affirmare, Bergopzomium peti.

Quumque equites Baxiani, qui exploratum missi fuerant, captivos duos adduxissent, ex illis intelligunt, nihil esse futurâ obsidione certius. Captivorum unus, se ex Tribuni Armamentarii nobilibus, dicebat: Alter ex annonæ præfectis erat. Quum hos primum nostri propè arcem Eekeranam adorti essent, & quò vellent rogitarent: Respondent illi, Regium se Exercitum, Bergopzomium obsidentem, petere. In urbem verò adducti affirmabant, omnia ad obsidionem necessaria jam parata esse. Imò exercitum esse in itinere, seque illud unum, antequam caperentur, opinatos, urbi jam admotum, admiratosque suprà modum fuisse, quum aliter habere se rem, ipsi oculis corã inspexissent. Addebant in exercitu esse, triginta sex armatorũ millia, si pedites, equitesq; numeres.

Nono igitur ejusdem mensis, Baro Willugbæus, Regiarũ Copiarum Summus in Belgio Præfectus, Bergopzomium appulit. Guilielmum Druræum Equitem hic civitati præfecerat. Sequenti die, armilustrium fuit, Conquisitoribus numerum armatorum ineuntibus. Erant autem peditum signa 12. Quorum 9. urbi, 3. verò

reliqua.

reliqua propugnaculis praesidio erant. His addebantur equitum vexilla 4. Belgicis duobus, Baxii fratres, Paulus, Marcellusque: Duobus antè Anglicis, Parkerius & Poulius præerāt. Poulius enim, nobilis Anglus, Willugbæanos ducebat. Ingens quoque tormentarii pulveris vis ex Hollandiâ advecta est. Propugnacula, quæ dicimus, in portu sunt. Nam, quia portus longior est, quam ut ab oppidanis commodè defendi queat, varia illi propugnacula imposita sunt. Portus enim ostium ab urbe passus mille & sexaginta quinque abest. A Divi autem Iacobi portâ passus primo 107. in Septentrionē vergit, hìc verò in occidentem conversus ad promontorium ducit. In hoc igitur ipso anfractu prius propugnaculum erectum est: Quod, quià omnium est minimum, Minus dicitur. Alterum, passus tantū ab ipsâ promontorii extremitate 264. distat, nomenque, à primo suo praefecto, Valkenburgū, accepit. Trajectus hìc est in Septētrionale propugnaculū, quod à portâ ligneâ 593. passibus abest. Valkenburgo, quà Zuytlandiam spectat, militare sepimentum, (Novum Castellum vulgò) additum est, quod à Valkenburgo sola fossâ dirimit. Fossæ aquā emissarium in portū emittit, sistitve, obicibus demissis, vel reclusis, prout visum fuerit. A Novo verò Castello, fossa (Portus Novus vulgò) ad ipsam urbem effodi coepta est. E regione Minoris propugnaculi agger Borealis dissolutus est, ne hosti ad Septētrionale propugnaculū è continenti aditus sit. Willugbaeus autē, ut, quæ ad urbis propugnationē facerent, procuraret, ad Ordd. proficiscitur. Priùs tamen de muniendâ urbe cum Senatu egerat, atque ipso postulante, Senatusconsulto decretum fuerat, ut civitate in vicos octo divisâ (quibus Senatores singuli praeficerentur) cives iis locis, quibus urbs infirmior erat, operarētur. *Coss. tum civitati erant*, Franciscus Mantaeus & Petrus Suytlandius. Senatores Verò Guilielmus Franciscides, Vir consu-

conſularis, Cornelius Iaſenius, Cornelius Dionyſius, Marcus Martinius, Adrianus Ioannis, Ioānes de Clerck, & Iſacus Caſpari. Quæſtores autem Marinus Nicolaïus, (vir conſularis & ſenatorius) & Nicolaus Ranſtius. Quoties autē Senatoribus, gravi de cauſſâ, operi intereſſe integrum non eſſet, ſelecti erant ex primariis uniuſcujuſque vici civibus, qui vices eorum ſervarent, munuſque obirent. Quarto igitur ab adventu Willugbæi die, ad D. Iacobi portā, quà ad promontorium itur, novam munitionem cives aggrediuntur, aggeriſque tranſitum, qui à portâ ad Novum, quem vocant, Portum tendit, loricâ obductâ ſepiunt. Ad virgultea illa ſepimenta, quæ duplici ordine in muri radicibus inter turrim illā quæ à pulvere tormentario nomen habet, & portam cui ſylva nomen dedit, civitatem ambiunt, loricæ effodiuntur: Et quotidiè in variis operibus ſaciundis multum operæ inſumitur. Via Woudanâ oſtentant ſeſe aliquot hoſtium equites. Excubitor ſpecularius, eos è turri conſpicatus ſignum & tubæ & nolæ ſonitu dat, adeſſe hoſtem. Præfectus civitatis Druræus, cum paucis armatis, primus hoſti obviam procurrit. Cedit hoſtis. Præfectum ſequuntur equites, pediteſque ferè omnes. Ille verò cum paucis iſtis, quos diximus, quique equites erant, ad pagum uſque Woudam hoſtem inſequitur: Cæteri equites pediteſque medii inter tumulos Bergenſes, qui Woudā euntibus ad ſiniſtram, Auxtermerioſque, qui ad dextrā ſunt, in ipſis Woudani Ericeti faucibus, ſiſtunt ſeſe. Redit interim Druræus, amiſſo uno ex ſuis equite, & equis duobus. Ad coemiterium enim uſque (ubi magnus hoſtiū numerus conſederat) penetraverat, & pugnâ velitari cū hoſte dimicaverat. Prudentiores factum hoc Præfecti improbabant, quòd nimio pugnandi zelo, & ſe et civitatem periculo non minimo expoſuiſſe videretur. Numero enim & viribus ab hoſte ſuperabatur: Longius

C quoque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 853

quoque processerat, quam ut commodè se ad urbem recipere potuisset, si hostis impressionem fecisset. Ab eruptione reversus jubet rescindi pontem, qui ad Helstedianū munimentum erat. Redemtores enim operis munimētum ponte junxerant, ut terrâ ex Varibogardo monte plaustris advectâ, opus absolverent. Cornelius quoque Iansenius, Senator, à Magistratu legatus in Zelandiam mittitur, cum his mandatis: Quandoquidem hostis urbis obsessionem minitetur, eumque in finem Woudam cum exercitu venerit, atque urbi de rebus ad propugnationē necessariis parum sit prospectum, S.P.Q.B. etiam atque etiam rogare, & per commune foedus obtestari Zelandiæ Ord. ne se, in harum rerum difficultatibus, deserant. Rē agi cōmunem: Bergopzomio periclitante, insulas Zelandicas nō omninò extrâ teli jactum esse. Sequenti die, qui erat decimus quartus, navis ex Zelandia appulit, assamentis, perticisque onusta. Quia verò, durante obsidione, diversis tēporibus summâ nobis diligētiâ submîssa omnia illa, quæ ad civitatis propugnationem necessaria erant, semel dicam, Ab Hollandiæ & Zelandiæ Ordd. Senatuque Dordraceno, satis superque civitati fuisse prospectum, de frumento, butyro, caseis, halecibus conditaneis, asellis salitis, avenâ, stramento, foeno, pulvere tormentario, assamentis, asseribus, perticis, clavis, glandibus plumbeis, igniariis, hastis, viminibus ad crates vimineas conficiendas, ligonibus, marris, corbibus dossuariis, vehiculis trusatilibus, atque iis omnibus, quæ in urbibus obsessis requiruntur. Zelandiæ quoque Ordines majora Serpentina Lusitanica quinq; misère, quæ globos 16. librarum pondo in hostem detorquerent. Erant hæc ex iis, quæ Petrus Duza, Hollādicæ classis Legatus Piemontelio, (superata ad Blancobergam prætoriâ ejus navi (Galeonem vocant) Flissingamque adducta, eripuerat. Quū verò hostiū equitatus viâ VVoudanâ rursus se spectandum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 853

dum præbuisset, facilè à nostris, quia pauciores erant, repulsi sunt. Circà hoc tempus toto illo tractu, qui inter Calmthoudiũ & Rosedaliã est, crebri cernebantur ignes. Excitabantur hi ab hoste iter Calmthoudio Steenbergã faciente, ut viribus collectis impetum in Toletanã insulã faceret, quemadmodũ res ipsa posteà declaravit. Nocte enim illâ quæ 17. Sept. præcessit, hostis magno numero, ductu Montinii, per Mattebergensem aggerẽ ad flumen Eendrechtium accessit, eo cõsilio ut insulã, quã diximus, invaderet. Totus autẽ Toletanus agger, præsertim quà vadum fluminis, mari refluo, pedibus transiri potest, continúâ loricâ septus est, atque ubi opus, præsidia quoque & castella sunt disposita. Insulæ præfectura Comiti Solmensi ab Ordinibus cõmissa fuerat. Hîc ubi hostis flumen transire conabatur, ripa est justæ amplitudinis, ex adverso verò in Toletano aggere castella tria sunt, quorum prius, quod ad Meridiẽ Toletum spectat, Botshoofdiũ ab incolis dicitur: mediũ à formâ quadrangulari Papenmutse nostrâ linguâ denominatur: Tertium quod in Septentrionẽ vergit, Novus Trajectus nuncupatur. Mare recesserat (Eendrechtium enim æstu maris crescit ac decrescit.) Impetu facto, flumen superare peditum vexilla aliquot nituntur, hîc ubi medium illud propugnaculũ, de quo loquuti sumus, extructum est. Reciprocatio autem maris tanta non erat, quantã expectaverant: Æstus quoq; violentior fuit, quam cui resistere possint: Multi ergò vorticibus absorbentur, multi sclopporum glãdibus à propugnatoribus transjiciuntur. Pauci tamen ulteriorem ripam jam tenebãt, & crepidine fluminis contra scloporum ictus tecti reliquos ad se vocabant. Quod quum frustrà fieret, ad suos, qui jam fugæ se dederant, recipere se coactos flumen hausit. Iis, qui in flumine erant, perumpere conantibus, illi qui ripam & aggerem citeriorem tenebant in propugnatores ingentẽ plumbeorum globulorum grã-

dinem emittebant. Vnus tamen solummodò ex propugnatoribus occubuit. Gregarius hic miles erat, & sub præfecto *Berchemio* militabat, hostis verò suprà ducêtos ex suis desyderavit: Qui quum impressionem faceret, vix quadraginta propugnatores erant: Mox verò præfectus Lagrous ex oppido Toleto cum suis auxilio advolat. Toletani autem licet fortiter hostem rejecissent, minimè tamen securi erant, quòd scirent illum non temerè, sed eo animo insulæ invasionem tentasse, ut illâ devictâ Bergensibus, & toti Zelandiæ negotium facesseret: Colligunt ergò brevi, nocte fortassis proxima reversurum, ut quod nunc non poterat, quavis id ratione perficiat. Et quoniam se pauciores esse vident, quam ut omnibus locis præsidia disponãt, à Bergensibus petunt, Adrianum Guilielmidẽ & Iodocum Brissautium, cum trecentis circiter militibus, qui sub illis stipendia faciebant, sibi in auxilium mitti. Adrianus ille, priore civilli bello, thalassiarcha Ziriczæorum fuerat, nunc autem inter Zelandicos Præfectos primum à Comite Solmensi locum obtinet. Brissautius verò, integerrimi & summi viri, Iacobi Brissautii, Consulis olim Brugensis, filius erat, obsidionique Slusensi interfuerat, & fortem Patriæ, alio licet successu quam sperabatur, operam navaverat. Vterque ab Ordd. Zelandiæ auxilio nobis missus fuerat, quum hostem Bergopzomiũ petere nunciatum esset. Decimo nono Septemb. rediit Prætor ex Hollandia, qui Amstelredami magnũ numerum tabularum sectilium, perticarum, asserumque in usum belli coemerat: Præterquam enim quod Prætor urbis sit, (Prætura autẽ in Rep. nostra, à Marchione summa dignitas est) civitati, & propugnaculis muniendis præest. Eliæ autem Leonino illi nomẽ est, estque idem ille, cujus antè in expugnatione arcis Woudanæ meminimus. Patrem habet D.D. Albertum Leoninũ, qui Lovanii. 24. annos continuos primarius utriusque juris fuit professor, nunc

verò

verò & Cancellarius Gelriæ, & Concilii Confoederatorum Ordd. primus Senator eſt. Nocte illâ, quæ, 20. Sepr. ſequuta eſt, hoſtis Rotæ montem occupat, poſt verò ſub meridiem Woudam recedit. Vtrinque nihil eſt actum: tota enim nocte, quin & ad hoſtis uſque diſceſſũ pluerat. Legatos tamen Senatus in Hollandiã, Zelandiamque mittit, qui Ordd. ſtatũ urbis ſignificent, deque auxiliis interpellent: Cornelius Ianſenius Zelandicâ, Adrianus verò Guilielmi (is civitati à ſecretis eſt) Hollandicâ Legatione fungebatur. Vigeſimo ſecundo ante diluculũ tubarũ, tympanorũ & majoris æramenti ſonitu ad arma cõclamatum eſt. Præfectus enim cohortes aliquot militum coegerat, eo conſilio, ut circà auroram vigilias duplicaret, quo ſcilicet tempore, hoſtis plerũque vigiles nocturnis excubiis defatigatos, inopinanteſque, atque impeditos aggredi ſolet, iiſque cæſis, civitates improviſò expugnare. Id ſe facturũ equitibus, qui ſtationes ſuas in foro habebant, nõ indicaverat. Hi dum per urberm obequitant, in cohortes has incidunt. Qui ſint? Quid ſibi velint? rogant. Quum verò inſolentius à milite quodã redderetur reſponſum, ad præfectos ſuos redeunt: Quid ſibi obtigerit, narrant. Illi quid ageretur neſcii, proditioné quampiam ſubeſſe autumãt, bellicumque canii jubent. Ægrè id tulit civitatis Præfectus Druræus, cũque præfectis equitũ de injuriâ ſibi illatâ expoſtulat, ſuo enim juſſu conveniſſe milites. Reſpondent illi, neſciviſſe ſe ipſius mãdato id eſſe factum, debuiſſe hoc ſibi, qui nunc urbis ſtatus eſt, ſignificari. Edictum deinde promulgatum eſt, ne quis incõſulto Præfecto bellicum canat amplius. Die, qui proximè ſequutus eſt, impedimẽta Firmini tribuni à militibus direpta ſunt. Præfuerat is arci Woudanæ: lite verò inter ipſũ & Marchantũ quendã, qui arci quoque præſidio erat, ortâ, in Hollandiã ſe contulerat, ut de Marchanto illo apud Ordd. cõquereretur, &

missionem simul illi procuraret, ac de rebus necessariis arci provideret. Ordd. ergò illi glandium plumbeorum aliquot milia, in sclopetorum usum, ferreos item minorum tormentorum (falcones vocant) globos, & igniaria quoque (quibus milites in alendo igne utuntur) pulverisque insuper tormentarii vasa aliquot suppeditarant. Antequam verò ex Hollandia reversus esset Firminus, Marchantus illos omnes, qui à Firmino stabant, ex arce expulerat, & cum hoste clam transegerat, ac paulò pòst, 17. scilicet Ianuarii, ànno. 1587, acceptis aliquot aureorum millibus, hosti arcem tradidit, seque in Galliam recepit. Firminus ergo omnia illa, quæ secum ex Hollãdiâ advexerat, in illum diem servaverat. Quum autem abitum pararet, ut qui exautoratus jam esset, atq; ea quæ diximus navi imposuisset, id milites (ut sunt in rebus ejusmodi sagaces) subodorati, & cõmodam nacti occasionẽ factum excusandi: Quòd res ejusmodi ex urbibus ab hoste obsessis aliò transferri non liceret, omnia illa & reliquam quoque ejus supellectilem diripuerunt. Pretiosiora tamen quæque reddere coacti sunt. At die sequenti, qui erat 23. Septembris hostis, viâ VVoudanâ progrediens, rectà in urbem ducit. Pedites, equitesque nostri in occursum illi provolant. Ille verò ad Tumulos Bergenses, Viâ Arenariâ in Septentrionem deflectit, montem Riselium, & Noortgeestum Superiorẽ scandit, ibiq; castra ponit. Septis ad Vestaliũ, & Steenbergensẽ portã demissis, ut aquis redundet fossa illa, quã Zoom fluvium perperã Geographi inscribũt, aquã ejus alveũ superante, pascua, quæ inter Woudanã & Vestalium portam interjacent, inundata sunt, & transitum in Septentrionem negant. In urbem itaque reversi nostri portã Steenbergensi erumpunt, & signis aliquot erectis hostem ad certamen provocant: Ille verò castris se continuit. Postero die ad Meridiem castra quoque metatus est. Quæ à D. Gertrudis monte ad Pilam usque extendit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 853

iis scilicet complexus Burchvlietum, Suytgeestum, Rotæ montem, & Bergensis sylvæ eam partem, quæ ab urbe in Orientem remotior est. Rotæ mons à rotâ, in quâ reorum crura elidi, vel cui decollatorum trunci solent imponi, nomen ducit. In hujus enim vertice de maleficis supplicium sumitur. Hostis verò patibulum in eo erectum, uno atque altero post adventũ die, confregit. Mons hic ad Meridiem viâ regiâ Antwerpiam euntibus rectâ occurrit. Diva Gertrudis â superstitiosis hominibus colitur, ne múres gliresque frumento noceant. Civitas autẽ ipsius patrocinio & curæ olim est credita, ut quæ Territorii Bergensis Domina fuerit. Monti ergo sacellum Divæ sacrum nomen dedit, Suytlandiæ nostræ submersæ imminet. Pila pars agri restibilis est, inter sylvam & civitatem media, principiumque æquoris istîus, quod portâ Woudanam, & Orientem spectat. Suytgeestus vicus, Burchvlietum pagus fuit, qui arcem habuit, à Gallis, ut suprà diximus, exustam. Halteranam arcem (quæ à pago, in quo sita est denominatur) Toletani triginta circiter militum præsidio tenebant. Non quòd arbitrarentur hostium eam impetũ sustinere posse, sed ut insulanis prospeculâ serviret, contra Toletum enim in continenti sita est, & de adventu hostium per hanc certiores fiebant. Quum igitur hostis arcem se, nî se dederent, vi expugnaturum minitaretur, præsidiarii eam hosti cedunt, hisce cõditionibus, ut, vitâ & fortunis salvis, ad suos se recipere liceat. Ex Ardearum Turri duo equites ad Pilam, tormento ferreo trajecti sunt. Alterum magni nominis fuisse posteà nunciatum est: Dicitur enim octingentis funalibus funus comitantibus Antwerpiæ sepultus. Horologiis nocturno tempore silentium impositum, ne hosti stratagematis exequendis inservirent. Circà hoc tempus varia undiquaque auxilia accepimus. Ordines, etsi Toletana insula validiore quoque præsidio munienda esset,

da esset, magnum tamē Belgarum, Scotorumque numerū in auxilium submiserunt. Flissingani, Brielani, atque Ostēdani selectiores quosque milites nobis subministrarunt. Octuaginta circiter pedites ex Gertrudoberganis, qui rejecto Ordinum imperio, Anglis se subdiderant, sub Bockio centurione Anglo in suppetias nobis adfuère. Præter hos sex quoque peditum signa ex Angliâ calendis novembris advenerunt. Adeò ut præsidiariorum numerus, qui initio obsidionis mille quingentorum, si equites annumeres, tantum fuerat, antè ejusdem solutionem, ad quinque ferè hominum milia excreverit. Sed quum jam equitum Præfecti animadverterēt hostem castra ponere, ipsamque urbem petere, nihil sibi cunctādum rati, verum tempus adesse, quo se viros, & aliquid quoque in hostem audere doceant, Druræum Præfectum urbis adeunt: Petunt cum hoste confligendi copiam sibi fieri. Non enim procrastinandum donec ad ipsa urbis moenia hostis castra admoveat: Quod si fiat, nulli amplius usui equites civitati futuros. Si (quod maximè sperant) victoriam vel minimam de hoste reportent, id civitati valde utile futurum. Ita enim & hostem consternatiorē, & oppidanos alacriores fore. Plurimum ad utrunque facere si oppugnatores sub initium obsidionis clade aliquâ afficiantur. Non esse virorum fortium, pati moenibus sese urbis includi. Alii contrà (aderant enim Præfecti militum omnes) incertam esse victoriā: Quod si ab hoste superentur, id civitatis malo maximo futurum: Si verò victorià ipsos sequatur, posse hostem id damni facilé sarcire. Rem esse cum hoste potentissimo, numerosissimo, multisque victoriis claro. Et certè obsessis eruptiones plerumque periculosæ & perniciosæ existimantur: Id verò locum habet, ubi pauci sunt & ità ab hoste premuntur, ut difficile sit nova præsidia recuperare. Sed numerus hîc militum sic satis magnus erat, & quotidié ex Provinciis confoederatis per

portum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 853

portum nova submittebantur auxilia. Tum vero Paulus Baxius: Scimus & nos, inquit, cautè esse agendum: Scimus habere hostem exercitum potentissimum, numerosissimum, multisque victoriis clarum, experti quoque sumus sæpius, quid in armis possit: Sed nisi Præfectus concedat quod petitur, irrupturus tandem idem ille hostis, tot victoriis clarus in ipsam urbem, & propugnatores omnes per capita crinesq; (utar enim ipsius verbis) in sua castra pertracturus est: Et quia aliis aliter videatur, nullum se hac de re verbum facturum amplius testatus, domum abire parat. Revocatur verò ab ipso Præfecto, cæterisque qui aderant. Et, inquit, Druræus, si id è Repub. sit, & ad conservationem urbis faciat, non refragrabor diutius. Armant se equites: Armant se pedites. Nec ut fieri solet, vel tubarum, vel tympanorum sonitu ad arma convocantur, ne hostis eruptionem parari sentiat. Se mutuò de futurâ eruptione certiores faciunt, & ad horam constitutam adsunt omnes. Præmittitur Vchtenbroukius, nobilis Hollandus, Baxii Majoris signifer, ut hostem in illam planiciem eliciat, quæ inter civitatem & castra interjacet. Illum comitantur equites quatuordecim ejus generis, qui sclopis in hostem pugnant, & rectà ad hostem tendunt. Via est, quæ propter imminẽtem montem Varibogardum altior est. Hæc à Steenbergensi portâ ad Helstedianum Munimentum ducit, ipsiq; urbis fossæ hæret: Ad munimentum verò Varibogardus in vallem descendit. Hac igitur lancearii equites, lanceis demissis, ne iis eminentibus ab hoste Riselium, Noortgeestumque superiorem occupante conspiciantur, vallem, quem diximus petunt. His Minoris quoque Baxii pegasarii equites junguntur. Baxii in fronte, Willugbæani medii erant, Parkerus agmen claudebat. Hostis paucos istos adversum se venientes cõspiciens, magnum emittit numerum eorum qui à sclopis Majoribus, musquettis

vulgò, nomen habent. In planicie, quà Vchtenbroukius in hostem ibat, aggeres varii sunt, qui septi & vestiti vepribus ac dumetis terminorum loco sunt, quibus cujusque ager dignoscitur. Ex his altissimos quosque sclopetarii occupant. Accurrentibus & se utrinque recipientibus velitibus, provolant nostri occasionem, quã speraverant, oblatam gaudentes, & pleno cursu in hostium latera feruntur. Tubicines bellicum canunt. Concurritur: Lanceis, verutis, sclopis res agitur. Cæsim alii, punctim alii hostem feriunt. Ex aggeribus, quos occupaverant, sclopetarii deturbãtur, armaq; projicientes captivitatem rogant. Multi confodiuntur: Plurimi capiuntur. Ità enim à nostris cincti erant, ut, licet maximè vellent, fugere non daretur. Suorum cladem miserati hostes, tres equitum turmas in nostros inducunt. Propelluntur hi in fugam, ab iis qui in fronte erant, & montem Riselium scandere coguntur, vinclorum & mortis suorũ spectatores futuri. Durante conflictu adducti sunt captivi aliquot: Inter quos nobilis quidam juvenis, Groesbecii, Episcopi olim Leodinensis, nepos ex sorore, cui nomen Amsterodius. Acceperat is vulnus in ipsâ fronte: Germanici vero cujusdam Tribuni vicarius erat. Si contigisset hostem conturbatum in fugam conjici, nostri decreverant urbem quamprimum repetere, nec tamdiu præstolari, donec totius exercitus impetum, cui pares nõ sint, sustinere cogantur. Poterant ergò victoriâ hac contenti, in urbem, ut constitutum erat, reverti, multos secum hostium in triumphum adducentes, nisi ardor & excelsus Parkeri animus obstitisset, qui equites dolebat fugâ elapsos, nec eos inertes prælii spectatores ferre poterat. Impetu igitur facto, ipsos aggreditur, iniquissimo quidem loco impressionẽ faciens. Quarè licet victor semel atque iterum in fugam hostem conjecerit, dum tamen & ipse Riselium scandit, (in quo hostis substiterat)

ſtiterat) & totus exercitus in armis eſt, hoſtiumque equites viribus animiſque redintegratis in unum illum irruunt, parum abfuit quin aut vivus in hoſtium poteſtatem redigeretur, aut à multitudine obrueretur. Ter illi manus ab hoſte injectæ: Ter ſeſe in libertatem vindicavit. Ille gladio, equus cui inſidebat, calcibus morſibuſque rē gerit. Hîc verò Baxii, Willugbæanique ſocium periclitantem videntes, priſtinæ virtutis ſuæ memores in confertiſſimos hoſtes incurrunt: Exiſtimantes ſatis ſe prædæ, ſatis captivorum, ſatis gloriæ adeptos, ſi virum tam fortem Patriæ ſervent, hoſtique eripiant. Vndè illi qui in priore conflictu capti fuerant, & necdum in urbem deducti, numero circiter ſeptuaginta, trucidantur, pauci fugâ ſe, quam nō ſperaverant, ſalvant. Noſtrorum igitur adventu per medios hoſtes via Parkero, quà evadat, aperitur, Baro Willugbæus, & Tribunus militaris Wilſortius, qui ex Hollandiâ, eodē momento, quo pugnaretur, ſuper venerāt, pedites ſummà diligentiâ educunt. Equites verò receptui canentes, junctis ordinibus, ad urbem redeunt. Magno numero hoſtis inſequitur, ægerrimè ferens Parkerum è faucibus ereptum. Majorum ſcloporum glandes aliquot thorace ferreo exceperat, illæſus tamen evaſit, thorax quippe ejus ſcloporum glandibus impenetrabilis erat. Locus ubi pugnatum fuerat, cadaveribus hominum, equorūque totus ſtratus erat. Quatuor aut quinque tantum noſtri deſiderarunt. Plures tamen vulnerati erant, & equorum major jactura fuit. Ex hoſtibus ſuprà ducentos occubuiſſe ferunt. Accidit hoc 25. *Sept.* poſt meridiem. Dum pugnatur, fabri murarii muri reliquias, quæ de coenobio Beguttarum ſupererant, ne civitati incōmodent, demoliuntur. Cōfeſtim autē caſtra, quæ latius metatus erat, hoſtis contrahit, Noortgeeſtumque Superiorem deſerit. Caſtra quoque ſummâ diligentiâ adverſus oppidanorum eruptiones & ad Septentrionem, & ad Meridiem munit. Non enim eam fortitudinem

tudinem

tudinem, eosque animos in obsessis expectaverat. Circa vesperam Prætor, Coss. & Senatores aliquot, Verius itē, Schotus, Basquevilius & Salsberius, militum Præfecti, de Reipub. statu & conservatione consultarunt. Exinde verò singulis diebus observatum hoc fuit, ut Præfectus præsidii ipse, & præcipuæ quidam è præsidiariis dignitatis ac nominis de rebus ad Rempub. pertinentibus cum Magistratu in curiâ colloquerētur. Laudabile certè institutum præsertim in urbe obsessâ. Ità enim & dissidiorum intér cives militesque semina, (quæ tali tempore perquam facilè oboriuntur) extingui possunt, &, si quid utrinque per incogitantiam peccatum sit, nullo labore corrigitur. Senatus itaque, ne ad summam diligentiam quicquam reliqui faceret, bis quotidiè, horâ nempe octavâ antemeridianâ, & pomeridianâ secundâ, ab hoc tempore cogi coeptus est. A Senatu porrò, ut cives quoque se arment, & per urbis plateas excubias agant, Willugbæus petit. Quæ res eò tandem perducta fuit, ut præfecti, signiferique & reliqui ordinum ductores nominati fuerint. Excusantibus verò sese nonnullis, quòd arma deficerent, utpote à Gallis olim sibi erepta, ab incoepto Baro destitit. Vigesimo octavo, Thomas Morganus, qui aliquādo civitati præfuerat, ex Anglia reversus est. Hic à Reginâ & Ordinibus missus erat, ut urbi præesset ipse, Druræoq; succederet. Præmiserant tamen Ordd. Lancelotum Parasisium Cōquisitorē, cum mandatis ejusmodi: Placuisse Regiæ Majestati. Sibi, ac D. Baroni Willugbæo Regiarum copiarum legato paucos antè dies, per literas significare, velle se, ut Morganus Bergopzomio præficiatur. Quarum rerum ut fidem faciant, mittere se Regiarum literarum exemplum. Nolle se Ejus Majestatis voluntati adversari: Præfecturam igitur Druræus Morgano permittat, qui brevì cum potestate Ordinum eò mittendus sit. Literarum ad Willugbæum (quarum mentionem

faciunt)

faciunt) summa hæc est. Renunciatum sibi esse, Principem Parmensem Bergopz. obsidionẽ moliri. Quo igitur civitas adversùs hujus impetum conservari possit, visum sibi esse ejus Præfecturam Morgano, Equiti, committere. Vt igitur Druræo Morganus quamprimum substituatur, suam Ordinibus (qui non ità pridem eundem sibi commendassent) operã commodet. Se tamen nihil quicquã de fide atque fortitudine Druræi addubitare: Sed diutinã Morgani in rebus bellicis exercitationẽ, atquẽ populi ergà illum studium hujus innovationis unicam esse caussam. Quod de vulgi studio ergà Morganum, & de cõmendatione Ordd. dicit Regina, sic se habet. Morgano cum Willugbæo non optimè conveniebat. Quarè quum animadverteret se favore Willugbæi in retinendâ Præfecturâ Bergopz. niti non posse, pluresque essẽt qui illam ambirent, & quidem Willugbæo charissimi, id operam dedit Morganus, ut S. P. Q. B. perquam charus esset, & per hos Ordinum quoq; favorẽ nactus, literas cõmendatitias ad Reginam ab utrisque impetraret. Willugbæus interim Druræũ civitati præfecerat, Morgano in ordinẽ redacto. Id verò quia factum fuit sine consensu Ordinum, ideò ad Reginam scripserant illi, ne qui essent, qui se ipsorum imperio opponerent. Morgani itaque adventu contentiones acerrimæ non inter Præfectos solum sed & centuriones inter, atque ipsos quoque milites ortæ sunt. Plures Druræò, Angli Morgano pauciores adhærebant: Belgæ verò, Scotique Morgani partes sequebantur. Willugbæus ipse Druræo favebat. Ideòque urbis quidem regimen Morgano cõmittit, propugnaculorum veró Druræo servat. Ajebat, id proptereà facere se, quòd civitatis solummodò in suis literis meminisset Regina. Morganus contrà, Frivolum id esse, à civitate propugnacula dependére, & unum semper cum civitate Præfectum habuisse. Commodum autem accidit, quòd illo ipso ferè momen-

momento, quo inter se de præfecturâ Præfecti altercarentur, Comes Solmensis, & Tribunus militum Vilerius, ex Zelandia supervenerint, qui utrumque ad pacem concordiamque adhortarentur. Druræo nihilominus omnia portus propugnacula commissa sunt. Civitati præficitur Morganus. Druræani quoque propugnaculis præsidio imponuntur. Druræus rarò in urbem ingredi, rarò sine rixis cum Morgano colloqui, multum de Ordinibus, multum de Senatu conqueri. Ordinibus simultates illæ summoperè displicebant, præsertim quum tam apertè ipsorum imperium sperneretur. Cordatiores omnes, quorsum hæc res evaderet, verebantur. Vini, cerevisiæ, frumẽtiq; collecta 29. mensis locata est, quæ toto obsidionis tẽpore more consueto ab omnibus soluta fuit. Die sequẽti VVillugbæus novam istituit eruptionem in eos, qui ad Septentrionem castra habebant. Quanquã verò iisdem ferè artibus uteretur, quibus priori eruptione usi equites fuerant, nihil tamen iis profecit. Cautius enim egit hostis, soliciteque cavit, ne tale quid à Varibogardo pateretur quale superiore conflictu passus fuerat. Hostium pedites aut intrà loricas castrorum, aut dumeta castris proxima se continent, neque, ut prius, nostros adoriuntur. Nostri pedites intrà primum sclopi jactum aciem instruunt. Equites tamen concurrunt, neutrisque cedere volentibus acerrimè pugnatur. Nostri fortiter instant, hostes haud timidi resistunt. Maximâ vi certatur. Poulii VVillugbæanorum equitum Præfecti equus concidit. Ille alium scandit, amissi equi mortem ulturus. Iter ceteros ordinum ductor (corporallum vocant) Comitis Nicolai egregiè pugnãs à nostris capitur. Marcellus Baxius accurentibus, & se recipientibus equitibus, ut in pugnâ fieri solet, Albanum, quendam gladio priùs per ventrem, quà armatus non erat, adacto, manú prehendit, atque ex mediis

mediis hostibus, ut equo insidebat invitum & reluctantem captivum secum rapit. Et ille quidem patrato egregio facinore illæsus erat, equus verò ejus, ilia glande ruptus, postquam dominum sociis incolumem stitisset, ex vulnere periit. Tormenta, quæ in colle Minoritarum & portâ Steenberganâ sunt, armatos aliquando homines, equosque medios dissecabant. At nihilo segniùs hostes, quum numero superarent, depugnabant. Virtutis utrosque certamen inivisse dixisses. Prælium tandem tenebris ingruentibus diremtum est. Equitum Præfecti, Ordinumque ductores ac Signiferi fere omnes plumbeos aliquot scloporum glandes loricis exceperant. Præter gregarios tamen equites paucos, equosque nonullos, nemo laesus erat. Ex hostibus quot occiderint mihi non constat.

Calendis Octobris illi qui ad Meridiē castra posuerant a Pilâ ad Hierocomium usque murum & fossam justæ altitudinis ducunt. Biduò post Hispanus quidāad nos transfugit, qui homicidium se commisisse dicebat, eamque transfugii sui caussam esse. Rogatus autem quis esset castrorum status: Parmensem suprà triginta millia armatorum in exercitu habere, respondit: Addebatq; advecta jam esse tormenta ænea sex, atque alia præter hæc quinquaginta in singulas horas expectari, velle Principem his civitatem ad hydromylam quatere. Atque ità rumores, qui vulgò de advectis sexaginta tormentis ferebantur, confirmare videbatur. Ille igitur ad Mauritium Principem, & Ordines mittitur. Licestrio enim in Angliam revocato successerat Mauritius, Illustrissimi Principis Auriaci Filius, paternæ cædis Vindex, & Liberatis Belgicæ futurus Assertor. Qui (quod felix faustumque Patriæ futurum sit) primus Principis Parmēsis impetum repressit & toto orbe celeberrimum

Impera-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 853

Imperatorem, Vrbiumque fortissimarum expugnatorem, non nisi vincere suetum, re infectâ, copias eò unde venerant retrahere, obsidiumque Bergopzomii tandê solvere coegit. At quia murus ad molam illam infirmior erat, quã ut tormentorum ictus sustineat, aggestâ terrâ munitur. Senatus porrò Suytlandium Consulem ad Ordd. Zelandiæ mittit Legatum, cum his mandatis: Quamdoquidẽ hostis civitatem arctiùs cingat quotidiè, omnemque moveat lapidem, quò sibi tandem eam subigat, illa autẽ pluribus locis parum munita sit, rebusque ad propugnationẽ necessariis, fossoribus præsertim & pecuniâ careat, orare se obnixè ne sociis & vicinis laborantibus desint. Statum civitatis ex Cos. cognosci posse.

Secundo post abitũ Cos. die, in ruderibus Hierocomii propugnaculũ extruit hostis, unde facilimè ipsos sclopotũ glandes in civitatem ejiceret. Tunc verò uno omnes ore clamitare, velle hostem & hîc moenia tormentis concutere. Viâ Calmthoudianâ frequentes currus cernebantur, quos ægerrimè equi traherent, & magno labore ad urbem admoverent: Cives itaque omnes ac milites aliud nihil arbitrantur, quam subvehi tormenta illa reliqua, de quibus transfuga loquutus erat. Eam ergò muri partem, quæ inter Woudanam & Beguttarum portam est, loricâ adversus sclopetorum ictus cives muniunt. Portæ quoq; Woudanæ fastigii reliquias demoliuntur, ne tormentis ab hoste convulsæ propugnatoribus obsint. Per hortos, qui mœnibus juncti erant, via ducitur, ut si hostis civitatem tormentis quatiat, equitibus tamẽ circà murum per pomeria obequitare liceat. At hosti nihil tale in mentem venerat, nec tormenta, sed scaphas curribus istis advexerat, aliud machinabatur, ut eventus ipse docuit. Sequenti die, qui 7. Octob. erat, 25 peditum signa in castra Septẽtrionalia supervenerunt, quibus Egmondanus præesse dicebatur. Hæc in monte Noortgeesto inferiore

castra-

castramentata sunt. Agger est ad Beumoerium, in Septentrionali portus tractu planiore, qui a consitis ibidem olim arbusculis, *Eesterdyck* nostrâ lingua appellatur, ubi verò Drieannelandiam attingit, nomen mutat, & Driannelandicus dicitur. Ad Noortgeestum Inferiorem hic incipit, Noortlandiamque à Beumoerio primum, deinde & à Driannelandia dividens, atque Occidentem versûs Septentrionali aggeri, quo mare arcetur, junctus trivium efficit. At ne Septentrionalem maris nostri aggerem aliquando hostis occuparet, Driannelandicum aggerem Ordines dissolverant, ea spe ut mare ad Toleti ostium in Driannelandiam, & ad Barlabassium in Noortlandiā nostrā immissum per hiatum hunc Driannelandicū concurreret, hostiq; iter ad Septentrionalē aggerem eriperet. Driannelandicum aggerē hostis sæpius frequentat, singulaque sedulò rimatur. Hoc nostri animadvertentes, id quod erat suspicabantur, velle nimirum hostem aggerem, quà dissolutus erat, ponte jungere, ut transitus sibi ad Borealem maris aggerem pateret, quem si occupet, tormentaque admoveat, navigiis aditum in portum eripi posse vident. Multum ergò de hoc aggere disceptatur. Alii quantus, quantus est, solo æquandum, alii in ipso trivio propugnaculum extruendum judicant. Res cum Comite Solmensi communicatur. Sed quum prius immensi esset laboris, fructusque nullius (agger enim deplanatus hosti majori quam anteà usui futurus erat) Secundum verò, propter vicinum hostem periculi plenum videretur, utrumque intermissum est. Nocte igitur illa, quæ decimum Octobris sequuta est, aggerē hostis occupat ipse. Majores scaphas duas in Driannelandici hiatus lacunam deponit, atque iis militem & tormenta in ulteriorem aggerem transportat. Post dies verò aliquot agge-

rem ponte sternit. Mattebergensem quoque aggerem (de quo in oppugnatione Toletanæ insulæ loquuti sumus) eadem ferè hora invadit, & tormentis in eo collocatis Toletanos navigatione Hollandica intercludit. Ad Toleti ostium agger duobus locis interscissus, & propugnaculum exædificatum est, quod à clade nostrorum, (quam anno 1572. sub Rolleo duce hîc acceperunt) & lacuna, cui imminet, *t'Geusgat* dicitur. In ipso Toleti ostio naves aliquot præsidiariæ stationes habebant, quas tribus tormentis hostis infestat & loco cedere cogit. Contrà Barlabassium prætoria Zelandorum, & alia quædam navis bellica, in anchoris stabant. Iudocus verò Morius, Zelandicæ Classis Legatus, ubi hostem in aggere conspicit, tormenta omnia semel atque iterum in ipsum exonerat. At vineas ille in aggere effoderat, minus ergò illi Morius nocuit. Sed hostis egestæ terræ aggere tectus è vineis suis, non aliter quam ex arce munitissima tribus aliis tormentis in Morium detonat, & tantum illi negotii facessit, ut etiam ille, navi tormentorum aliquot ictibus perforatâ, militibusque insuper classiariis ac nautis nonnullis vulneratis Romerswaliã recipere se cogeretur. Et quũ naves nostræ è portu in altũ se darẽt, Hollandiã aliæ, Zelandiã aliæ petẽtes, in eas hostis tormenta quoq; displosit. Priores licet tormentis & ipsæ dilaceratæ essent, cursum nihilominus Romerswaliam tenebant: Duæ posteriores in urbem sunt reversæ, quarum unam duobus globis hostis mutilaverat, iisque uxorem civis cujusdam, infantem sinu tenentem, una cum infante occiderat, militum verò uxores duas ità læserat, ut una non multò post, amissa dextra, ex vulnere diem obierit. Erant hæ ex earum numero, quæ metu hostis perculsæ in Hollandiam, Zelandiamque profugiebant. Initiò enim obsidionis tan-

nis tantum nonulli metum de hoste conceperant, ut unam salutem existimarent urbem, patriosque lares fugisse. Qui metus magis magisq; indies augebatur, quum militum Præfecti ipsi uxores cum sarcinis ablegarent. Illi quoque qui stipendia nulla accipientes, nulloque sacramento cuipiam devincti, ex solis spoliis opiparè & lautè, ne dicam impiè & scelerarè vixerant, Patriæ desertores magno pretio commeatum in Hollandiam profugiendi redimebant.

Circà vesperam navis ex Hollandia appulit, in quam tormenta hostis sæpius ejaculatur: Vnus tamen solummodò miles enectus est, qui nauclero ad gubernaculum astabat. Equites de foeni penuria conqueruntur, foeno tamen mox ex Hollandia advecto, querelæ eorum sedatæ sunt. Sub idem tempus Gertrudobergani milites naves aliquot cerevisia Delphica, butyro, caseis, halecibus conditaneis, olivoque oneratas interceperant quas in portum nostrum subducunt. Potestas his ab Ordinibus facta fuerat Antwerpiam, Bredamque enavigandi. Mercatores Gertrudobergis in vinculis asservabantur: Illorum commeatus patibulo ibidem affixus est. Horum exemplo moti præsidiarii nostri idem conabantur, sed Ordinum edicto prohibiti destiterunt. Merces à Gertrudoberganis in urbem advectæ, post solutam obsidionem, jussu Ordinum mercatoribus restitutæ sunt. Ordines Toletanis validiora equitum, peditumque auxilia submittunt, quæ ad Veneris Aggerem, (qui Romerswaliæ objacet) exonerantur. At quum hostis portum omninò interclusurus videretur, non despondent animum nostri, & uno ferè tempore varia munimenta nova, ad portus conservationem, moliuntur. Quo-

rum prius à Septentrionali propugnaculo passibus nō amplius 117. civitatem versus abest, atque à quadrangulari formâ, *Papeumutse*, nomen accepit. Agger Helstedianus loricâ quoque muniri coeptus est. Stavasti fundamenta jacta sunt, eâ nocte quæ 13. Octobris præcessit. Nam quia hostis portum infestabat, elaborandum erat, ut sartus tectusque illec conservaretur, siquidem ab uno portu salus urbis secundum Deum dependebat. Locus est in aggere Boreali, qui ab incolis *Barlabas* dicitur, & à Septentrionali propugnaculo passibus tantum 221. distat. Hîc aggerem duobus locis nostri dissolverant. Quod unum obstabat, quominus hostis tormenta ad Septentrionale propugnaculum admoueret. Veriti autem ne successu temporis idē hîc conaretur, quod in Driannelandico aggere jam perfecerat, nostri locū præoccupant, & fossâ trāsversariâ à Septentrionali propugnaculo ductâ vallū extruunt, quod haud infelici omine *Stavastum* vulgus nuncupavit. Hîc enim, si alibi, standum, & fortiter pugnandum erat, nec permittendum, ut hostis ulterius progederetur. Fasces, lignum, materiaque omnis à civibus, pistoribus præsertim & figulis exigitur, ut opus summâ celeritate perficiatur. Quià verò pulvinus ille qui portui nostro objacet, navibus portum intrantibus, supra modum, incommodabat, nec à Septentrione aditum ad urbem, nisi summo cū periculo permittebat, non amplius nautæ eâ navigatione usi sunt: Sed cis Romerswaliā, ad pulvini oram deflectentes, pulvinumque illum prætervecti, à Meridie portum subibant, quod multo minore periculo fiebat. Inter pulvinum enim hunc & aggerem in quo hostis tormenta collocaverat, Schaldis interfluit, cujus alveus propter pulvinum arctior est, quam ut naves tormen-

mentorum ictus evitent. A Stavasto hostium tormenta 393. passus aberant, neque propterea illa ad portus ostium propius admovere tutum erat. Licet ergo in singulas ferè naves portum subeuntes tormenta sua exonerarent, ne misonautæ quidem vel minimum vulnus inflixerunt, quod non sine Numine factum videtur. Ad Toleti ostium æstuaria sunt, quæ vernaculâ linguâ *Brolosia* dicimus, atque ad eum aggerem, qui à lapidibus denominatur, in Occidentem extenduntur. Hîc in ipsis Toletani aggeris radicibus Zelandiæ Ordd. fossam duxerunt, quæ non procul à propugnaculo illo, quod à Talpâ nomen sumsit, Toletum versùs Eendrechtio miscetur. Atq; ità uno labore & insula munita, & navigiis via, quâ Toletum enavigent, inventa est. Ab hostium enim tormentis Eendrechtium, subire non licebat Toletanis. Ex eo itaque tempore hostis planè nihil tormentis suis profecit. Decimo tertio Octobris equites octo, qui sub Baxiis merebant, equis navi impositis Lilloum enavigant. Hîc equos conscendunt, rectàque hostium castra petentes Antwerpiâ se venire simulant. Hoc usi stratagemate præfectos tres, qui & ipsi quoque castra petebant, cum impedimentis omnibus capiunt, ac cum prædâ incolumes domum Lilloo revertuntur. Nondũ dissidium illud Morganicum sublatum erat. Nocte igitur illa, quæ inter 13. & 14. Octobris media fuit, Illustris. Princeps Mauritius, & Tribunus militum Vilerius in urbem ingressi sunt: Nam res non omninò periculo carêre videbatur, compedes siquidem & carceres (ipso Mauritio præsente) VVillugbæus Morgano minitabatur. Mauritii verò adventu lis in hunc modum composita est. VVillugbæus, quamdiu præsens fuerit, summam obtineat authoritatem, ut qui Regiæ Ma-

 jesta-

pars cæſi, reliqui in vincula conjecti. Grimſtonius cum caupone, cuſtodibus metu obſtupeſcentibus, eripitur. Quum ſe illuſos viderent illi, qui admiſſi non dum fuerant, ligneum ſepimentum, quod ad propugnaculi radices erat, magnâ vi convellunt: Sed altero ſepimento (quod in loricâ) propugnatorum item concurſu, & ſcloporum crebrâ digrandinatione repulſi ſunt. Arma igitur projicientes fugæ ſe dant. Tum verò illi qui in inſidiis erant, magnis clamoribus & innumerabilibus ſcloporum diſploſionibus fugientes inſequuntur, ſternuntque. Cæſim alii, punctim alii, ferire, mactare, cæde ac ſanguine implere omnia. Dum hæc geruntur, maris æſtu Noortlandiā tegitur. Multi ergò in profundiores lacunas incidunt, ac merſi ſuffocantur. Cæſi ſunt ſuprà trecentos, plures vulnerati ut ex captivis poſteà cognovimus. Nobiliorum captivorum nomina hæc ſunt. Ioannes Mendoza major, qui in Noſocomio ex vulneribus diem clauſit, Ioannes Mendoza minor, Gregorius Vites, Chriſtophorus Porceus, Godefridus Gordonius, Triſtandus Lignicavus, Alonſus Idiaqueus, Donni (ut Hiſpanico verbo utar) omnes, & præcipuæ nobilitatis. Nullis militaribus ſignis toto exercitu erectis, expanſiſque dolorem ſuum teſtari viſus eſt hoſtis. Captivi illi, quòd Grimſtonium cauponemque ad proditionem ſollicitaſſent, à Militari Concilio damnati, gulamque laqueo fracti præpoſteræ in dominum fidei poenas dederunt. Magnus ex ſtratagemate hoc fructus ad nos rediit. Nam de proditione, quæ una nobis timenda videbatur, nihil erat, quod timeremus ampliùs. Tantum enim ſimulatâ hac proditione actum fuit, ut veris proditoribus fidē habiturus nō eſſet hoſtis. Quanquam in Grimſtionio, cauponeque ab omnibus culpa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 853

culparetur, quòd Religionem abnegassent, & jusjurandum violassent. Quarè non optimam gratiam apud ipsos Anglos iniverunt. Et licet illi factum negent: Ferunt tamen magni nominis virum, utrumque (quum se in Angliam ut remunerarentur contulissent) in hunc modum Reginæ commendasse: Grauissimæ, inquit, Illustrissima Domina, sunt causæ, cur horum virtutem insigne aliquod præmium sequatur. Si enim illi remunerandi sunt, qui corpus tantum, tuo nomine, periculis & morti objecerint, quid illis facias, qui nec corpori, nec animæ pepercerint? At literis ex Angliâ allatis facti sumus certiores, Hispanicæ classis reliquias Scotici, Hibernicique freti angustiis, brevibus & syrtibus illisas, penitusque tempestatibus & potente D. O. M. dextrâ attritas, omnibus iis qui Hiberniæ partem aliquam occupaverant internecione deletis, ac paucis tantum cũ Duce Sanctolucano, classis Præfecto, per mille mortis discrimina in Hispaniam profugientibus, quarè 21. Octob. Sacrâ Concione habitâ gratiæ Deo publicè actæ sunt: Circà vesperam verò milites tormentorum & scloporum displosione, ignibusque accensis, ac tubarum, tympanorum & campanarum sonitu, festivisque acclamationibus gaudium suum hosti significarunt, & classem perditam, & propugnaculum oppugnatum illi exprobrantes. Summis hastis ardentes è stramine manipulos alligarant, quibus suprâ murorum loricas elevatis tota civitas, portusque propugnacula ardere visa. Ab eo tempore remissius agere coepit hostis. Navis quædam 22. Octobris frumento onusta, dum portum subit, in Septentrionalis promentorii reliquias impegit. In hanc sæpiissime tormenta hostis exonerat: Tribus tamen solummodò ictibus

perfo-

nihil estactum. Italorum verò exercitus, qui ad D. Gertrudis montem erat, nescius quid ageretur, obequitare, singula sedulò rimari, prospicere quidnam tentaturi essent, quos magno numero adversum se confluentes vidibat, Excubias disponere, in armis esse, totis denique castris tumultuari. Postero autem die, qui 17. Octobris fuit, summâ omnes diligentiâ opus aggressi sunt.

Duodevigesimo Octobris, præsidiarii ex porta Steenbergensi erumpentes hostem ad pugnam lacessunt. Sed quum ille castris non egrederetur, nec copiam pugnandi faceret, in urbem reversi sunt. Secunda verò ejus noctis vigilia, quæ 20. Octobris sequuta est, hostis stratagemate quodam Septentrionale propugnaculum nobis præripere conatus est. Quæ res altius mihi repetenda videtur. Exploratores nostros, Hispanos duos, uno atque altero ante obsidionem die, captivos adduxisse, suo jam loco diximus. Erant hi in custodia cauponis cujusdam Angli, cujus ædes Grimstonius, Basquevilii signifer, prandendi coenandique gratia frequenter adibat. Contracta, igitur hac occasione, cum captivis familiaritate, tandem intelligunt se ab iisdem seriò ad proditionem sollicitari. VVillugbæum itaque adeunt, rem omnem illi exponunt, &, quid fieri velit, rogant. VVillugbæus, captivis Septentrionale propugnaculum offeri, jubet. Verbis itaque ultrò, citròque cum captivis commutatis, ità discedunt ab illis, ut qui propugnaculum Septentrionale (cui præsidiò sint) Principi se traditurus promittãt: Illud enim Grimstonii fidei sæpius committi, eò scilicet tempore, quum Basqueviliani milites excubias agunt. Res tandē eò deducta fuit, ut 20. Octob. sub vesperam, literis prius captivorum commendati, ad Principem Parmensem (qui in

Noort-

Noortgeesto Inferiore pernoctaturus erat) se contulerint, omnia ad propugnaculi deditionem parata esse nuntiantes. Ille de ipsorum fide subdibitasse fertur: Ideoque multa super propugnaculo, multa super ejus Præfecto, præsidio, & rationibus iis, quibus illud tradendum sit, rogitasse: Iuramentum ab illis exigisse: Altaris Sacramentum (sic enim Coenam Dominicam à se corruptam Pontificii vocant) à Sacrificulo prolatum sumere jussisse: Aureo torque illos donasse; & magnum denique auri pondus promisisse, si quod polliciti fuerant, præstent fideliter. Optimos quosque militum illis deinde committit, ad propugnaculum in suam potestatem recipiendum. Ducibus tamen manus pòst tergà revinciri imperat, & singulis militem addit, qui stricto pugione latus perfodiat, si fidem datam fallant. Willugbæus interim multo milite propugnaculum clam firmat, atque in utroque aggere, qui propugnaculi fossam utrinque attingit, non parvam militum manum in insidiis collocat. At portam quà hostis intromittendus erat, clathris ferreis reticulato textu munit. Pensilia hæc erant, & fune, quo religabantur, præciso portæ transitum sepiebant. Rebus omnibus hoc modo ritè præparatis, hostium adventum avidè VVillugbæus expectat. Tandem illi prodeunt, & per inundatam Noortlandiam (mare enim refluxerat), iter facientes, portam, ut futurum dixerant duces, apertam inveniunt. Nec deest quoque, qui adventum ipsis Hispanicè gratuletur. Admissis verò circiter 50. & iis quidem ex toto nobilitatis flore selectissimis, funem VVillugbæus quo ferrei, quos diximus, cancelli religabantur, suâ manu præcîdit ipse. Ast illi decidentes portam obstruunt, & ceteris aditum in propugnaculū negant. Fit impetus in illos qui admissi jam fuerant, quorum major

D v pars

jeſtatis ſit Legatus : Abſente ipſo, Morganus rebus præſit: Druræus diſcedat. Remanſit tamen ille, nec ante ſolutam obſidionem diſceſſit. Erant autem qui affirmarent, hoſtem conſtituiſſe reliquias Auſtralis aggeris per æſtuaria Suytlandica, mari refluo, occupare, ut & hac aditum noſtris navibus in urbem præcludat. Certè veſtigia eorum, qui ad hunc locum explorandum miſſi fuerant, quum mare refluxerat, in luto Burchvlietum verſus viſa ſunt. Noſtri verò cratibus vimineis in extremo promontorio erectis, multâque humo repletis, tria tormenta ibi diſponunt: Quorum maximum, globum ferreum quadragintà quatuor, minora verò duo 16. librarum pondo in hoſtem detorquebant. Singula quoque propugnacula ſua habebant tormenta, quæ omnia in hoſtem diſplodebantur, quoties naves appellerent. Duobus etiam tormentis propugnaculum quod ad Toleti oſtium eſt, ſine intermiſſione hoſtem divexabat. Agger præterea, quem ille tenebat propter continuos imbres & militum crebras diſcurſitationes tam erat lutoſus, ut vix uſquam vel pedem figere integrum eſſet. Aſſamenta, ſtramentaque deerant, milites itaque in vineis quas effoderant, ut iis contrà tormentorum ictus utcunque tegerentur, ſub dio pernoctabant. Solum verò fodiendo altius excavatum omnem pluviam hauriebat. Venti vehementiores ſpirabant quotidiè. Adeò ut hoſtes quidem Bergopzomium, ſed Coelum ipſum, Telluremque iſtos ipſos obſeſſores & quidem arctiſſimè obſidere viderentur. Auſtralem autem aggerē complanare noſtri incipiunt. Verum videntes id fruſtrà eſſe, conſilium mutant. Ad extremam aggeris oram rivus eſt naturali maris impetu factus. Hîc propugnaculū exædificandum omnes judicant. Latior enim planicies, quæ rariſſimè

rissimè æstu maris tegitur, huic rivo adjacet, & rivus ipse propugnaculo pro fossâ futurus erat. Schaldis alveus propter æstuaria, in quibus telonii Zelandici reliquiæ visuntur, angustior & hîc est. Naves quidem præsidiariæ in Schaldi excubabant: Verum si scaphis (quas magno numero Antwerpiâ advexerat) militem & tormenta de nocte hostis transportet, non minore labore ex stationibus pellendæ erant, quam aliæ illæ ad Toleti ostium, Barlabassiumque pulsæ fuerant. Iudocus Morius Zelandicæ Classis Legatus, qui præsens ipse locum inspexerat, id confirmabat. Fossores deerant. Civium ergò operas VVillugbæus exigit. At cives quotidianis laboribus defatigati, & inani metu propter viciniratem hostis perculsi, nolle se hosti mactandos objici vociferabantur. Locus enim in quo propugnaculum erigendum erat longius à civitate aberat. Passus siquidem 626. à Valkenburgo abest: Valkenburgum autem ab urbe passibus 800. distat. Habes igitur passus 1526. Tum verò Prætor, Coss. & divini verbi Administri Baselii duo, Pater, filiusque, singulos fere compellantes, Et quid Patriæ debeant sedulo inculcantes, eò cives perduxerunt, ut operas suas in munimento conficiendo promtissimis animis offerrent, & se ad signum tympano dandum præstò futuros omnes promitterent. Finitâ Concione pomeridianâ (Dies siquidē erat Dominicus) civium tympanistes signum dat, ut à Senatu jussus erat. Alter ergò Consulum cum Senatoribus aliquot, alter quoque Concionatorū cum Ecclesiæ Senioribus, arreptis ligonibus operi sese accingunt, & sub noctem eò tendunt, ubi propugnaculum extruendum erat. Hos sequuntur cæteri cives fere omnes. Quum autem de delineamentis operis inter Præfectos non conveniret, eâ nocte

perforata navis, nulloque ex nautis læso, Dei beneficio evasit. A præsidiariis autem nostris quotidie in hostem pugnatur, & horis ferè singulis nova certaminum spectacula, oppidanis hostibusque exhibentur, in planicie illâ quæ inter utrosque media erat. Cives interim continuis, ac tam diuturnis laboribus fracti, impares se tanto oneri queritari. Morganus itaque hac de re cum Senatu colloquutus, petiit, ut cives pro æstimatione fortunarum cujusque censum pendant. Consul igitur totius, Civitatis Concilium (Amplum vocant) indîcit. Consulares, Senatorii, & Quæstorii, secundum hîc à Magistratu, Opificum Consiliarii tertium locum obtinent. Exponit his Consul, quid Præfectus petat, censumque haberi postulat. Petitioni annuunt omnes, atque illâ ratione ab operis immunes fiunt cives. Munitiones quæ restabant imperfectæ operum redemtoribus, certo pretio locantur absolvendæ.

Quum autem assamenta in belli usum deficerent, quicquid tabularum sectilium in fabricis materiariis erat, exactum fuit. Compluvia prætereà & tabulata aliquot effracta sunt, quæ tamen post solutam obsidionem ex ærario publico restituta fuerunt. Atque illis quoq; non sufficientibus, quumque & alia quædem deficerent, 16. Octobris, Consul Suytlandius in Hollandiam mittitur non ad Ordd. solum, sed ad Senatum etiam Dordracenum, nobis amicissimum, ut statum urbis significet, & subsidium roget. Ædes Dajalanæ Scotis quibusdam in hospitium cesserant: Dum autem omnia effringunt, quæ ad focum instruendum facere videbantur; atque inter cætera trabem quoque, cui tectum innitebatur, ædes corruunt, quarum ruinis unus & alter oppressus periit. Ne verò tale quid quisquam tentet amplius, capitis supplicio cautum est.

In civi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 853

In civitatis & propugnaculorum muris vasa quædam pice perfusa, & multo stramine farta, variis locis eriguntur, ut incensa lumen propugnatoribus præbeant, si fortè hostis oppugnationem tentet. Vigesimo septimo Octobris, Majoris æramenti sonitu Nundinæ indictæ sunt. Non quòd multi mercatores ad Nundinas nostras venturi putarentur, sed ne jus Nundinarum istarum civitas amitteret: Tenetur enim statis temporibus illas quotannis publicare. Durant hæ septimanas sex, & omnis generis merces venum exponi solent. Ac toto illo tempore, profugis omnibus, (latronibus cæterisque Reipub. hostibus exceptis) liber aditus in civitatem patet, nec cuiquam fas est debitori, propter non solutum æs alienum, negotium facessere, si modò istis ipsis Nundinis, quæ impræsentiarum celebrantur, contractum non fuerit. Sequenti die Mauritius Princeps in civitatem venit, ut sua præsentiâ milites civesque animaret, munitiones, propugnaculaque omnia coram ipse inspiceret, & quæ ad defensionem urbis facerent, provideret. Eodem die census ille, de quo loquuti sumus, duplò auctus fuerat: Quæ res cives non mediocriter turbavit. Quare quum Ordines Toletum appulisse nunciatum esset, Mantæus Consul, & Guilielmus Franciscides Consularis, ad ipsos legati mittuntur. Qui hora noctis decima, cum Mauritii comitatu, hostium tormenta prætervehuntur rectaque Venusdammum petunt, inde Toletum, tantumque apud Ordd efficiunt, ut 30. Octobris tria se millia florenorum Reipub. Bergopzomanæ numeraturos pollicerentur, quorum 1800. eò ipso momento legatis suppeditarunt. Vno pòst discessum legatorum die, Mattebergensem aggerem hostis deseruit. Cognito ejus discessu, castra quæ integra reliquerat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 853

rat, Toletani incendunt. Morganus à Senatu impetravit, ut cives sex istarum Societatum, quas Guldas vocamus, in Curia excubarent, quibus Senator quoque jungeretur. Tēpus instabat quo summo cum dedecore, nec minore damno obsidionem soluturus erat hostis. Omni enim spe urbis potiundæ sublata, non restabat aliud, quam ut exercitus crebris oppidanorum eruptionibus, tormentorumque displosionibus, tempestatibus item ac imbribus continuis, & qui indè sequuntur, morbis, paulatim consumeretur. Noortlandiæ ergò aggerem quoque 30. Octobris, nocte intempestâ deserit. Illi qui ad Toleti ostium erant, omnium primi ejus discessum resciverant. Scaphis igitur ad aggerem devecti, præter Germanum unum, altissimo oppressum somno, inveniunt neminem, qui è somno excitatus, quum se, & aggerem à sociis desertos cerneret, in genua prostratus vitam deprecatur. Pons, quo aggerem Driannelandicū hostis junxerat à nostris rescinditur. Eadem nocte, quæ scilicet inter 30. & 31. Octob. media fuit, scaphæ 24. Burchvlieto solverant, ut piraticam exercerent. Sed uno tantum Romerswalensi piscatore paupere capto, eò unde venerant, ipso meridie sequentis diei, reversæ sunt. Nec has præsidiariæ naves, utut præcinctæ essent, assequutæ sunt. Remis enim summâ vi & contentione incumbebant, & vadosa maris loca legebant, malaciaततपरो summa erat. Mauritius, & Solmius Comites, Barneveldius item & Egmondus, Valkius, Vosbergius aliique ex Ordinum numero, civitatem sunt ingressi. Præsidiarii verò quò Comitibus, Ordinibusque documentum suæ fortitudinis facerent, omnibus ferè copiis portâ Steenbergensi effusi, hostem nequicquam ad certamen provocant, castris enim ille se continebat,

bat. Propugnaculum cognomento Civicum, nondum perfectum erat. Impetratâ igitur illâ, quam diximus pecuniâ, civibus nonnihil de censu, remissum, & propugnaculum insuper rusticis absolvendum locatum fuit. In Helstediano munimento tormenta duo nostri collocant, & per vallem illam, quæ Nooitgeestum Superiorem ab Inferiori dividit, crebris ictibus hostilia castra infestant, & sæpius uno ictu (ut ex captivis posteà cognitum est) tentoria, & vini cerevisiæque vasa perforata, & homines præterea aliquot sublati sunt. Vt autem in castris tutiores sint, crates vimineas in valle, quam diximus, disponunt: Quanquam ne sic quidem fatales tormentorum globos evitare potuerint, quibus quamplurimi quotidiè sunt enecti. Interim totâ urbe rumor, incerto authore, spargitur, hostem è Cavâ Viâ, cuniculos in ipsam urbem agere, ut pulvere tormentario muri aliquâ parte, disjectâ in civitatem penetret. Licet verò incredibile hoc omnibus videretur, tamen quum nocte illâ quæ septimum Novembris præcessit, fossæ aqua integrum pedem, casu nescio quo, ad Meridiem subsidisset, figmentum hoc pro vero habitum fuit. VVillugbæus ipse dum caussam hujus rei inquirit duobus aut tribus comitatus ad Viam, quam diximus, tendit. Hæc propter imminentes utrinque colles tantæ altitudinis est, ut hastatus miles eam ingressus, etiamsi hastam erigat, ab urbe tamen conspici nequeat. Licet autem in vicino Gertrudis monte hostis castra haberet, non tamen prius ad urbem se Baro recepit, quam ipse suis oculis locum inspexisset, vidissetque, nihil ibi, quod ad cuniculos agendos faceret, conspici posse. Lacrojus

Cunicu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 853

Cuniculariorũ Præfectus, meatus quosdã subterraneos esse arbitrabatur, qui aquam hanc aliò divertissent. Nono novembris Comes Noorthomberlãdius, & Norritius nobilis Anglus magnâ illos nobilium catervâ comitante, ex Angliâ appulerunt. Adventum ipsis tormentorũ & sclopporum displosione, ac majoris æramenti sonitu oppidani gratulati sunt. Comes ut Belgium, obsessum que Bergopzomium coram inspiceret venisse dicebatur. Norritius verò Legatus ad Ordd. à Reginâ missus erat, ut illos de auxiliis Antonio Lusitaniæ Regi præstandis interpellaret. Regina enim ingentem classem apparabat, ut Antonium in regnum, è quo ab Hispano pulsus erat, restitueret. Equites sex viâ Arenariâ castra hostium prætervecti, quadrigam cerevisiâ onustam, cauponem, equitesque duos, invitis hostibus, trans ipsa castra, captivos in urbem rapiunt. Vt autem adolescentis Comitis oculi novo & insolito spectaculo pascerẽtur, eruptio in diem sequentem decreta est. E cuniculis igitur, qui ad turrim sunt, quæ à pulvere tormentario denominatur, fossâ ponte subitaneo stratâ, pedites emittuntur. Hi ad Cavam usque Viam penetrantes cum Italis, qui in Gertrudis monte castra habebant ferra præliantur. Equites interim portam Woudanam egrediuntur. Parkerus in ipso Vinearum colle se sistit Poulius in planicie, quæ viæ Burchvlietanæ adjacet, aciem instruit. Baxii verò deerãt, utpote de futurâ eruptione nõ præmoniti. Germani, qui ad Rotæ montẽ castramentati fuerant, in planiciem monti proximam descendunt, paulatimque via Antwerpianâ progredientes non procul à Vinearum colle subsistunt. Hic inter senticeta sese plurimi occultant, reliquis nostros ad pugnam provocantibus, ea spe ut irruentes equites sclopis exciperẽt. Verius autẽ accitis trigintà circiter peditibus, qui in via Burchvlietana

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 853

vlietana erant, Germanos è ſpinetis in planiciem pellit. Tum verò Parkeriani equites impetu in illos facto, ad unum ferè omnes, in ipſis Rotæ montis radicibus, conficiunt. Vnus Sarlius Centurio, dum concitatiore impetu in hoſtem fertur, & equum ferociorem reprimere nequit, vivus in hoſtium poteſtatem venit, qui cum Ioanne Mendoza minore commutatus libertati poſteà reſtitutus eſt. Tranſfugæ omnes, uno ferè ore aſſeverabant Parmenſem Principem diſceſſum cogitare. Vndecimo igitur Novembris die, horâ primâ pomeridianâ equites, peditesque omnes, paucis exceptis, qui moenia ſervarent, portâ Steenbergenſi erumpunt. Eodem quoque momento, Balfordius Scotus cum 600. ſelectis militibus, Toleto advolat. Verius emiſſariis præficitur. Hi cum ſclopetariis minoris Baxii equitibus rectà ad hoſtem tendunt. Balfordius viam regiam, quæ Steenbergam ducit, occupat. Oppidani in planicie, quæ viæ Steenbergenſi ad dextram proxima eſt, aciem inſtruunt. Lancearii equites ad viam Arenariam paululum deflectunt. Emiſſarii ingentem globulorum plumbeorum procellam in hoſtem, capitibus tantum ſuprà loricas caſtrorum eminentem, profundunt. Auſi equites nonnulli caſtris egredi, ſclopis excipiuntur, & uno atque altero è ſuis deſyderatis in caſtra refugiunt. Interim dies labitur, nec tamen quenquam in noſtros inducunt hoſtes, caſtris ſe continent, quæ munitiora erant, quam ut expugnari poſſent. In urbem igitur noſtri redeunt, ſatis gloriæ ſe adeptos arbitrati, quòd per duas horas integras pugnandi copiam hoſti feciſſent. Ex emiſſariis occiſi quatuor 12. vulnerati ſunt, ex ipſis enim caſtris hoſtis in illos ſclopos diſploſerat. Nocte illâ, quæ undecimum Novembris ſequuta eſt, caſtra Septentrionalia & arcem quoque Hal-

teranam incendunt, & circà decimam antemeridianam ex monte Riſelio, Noortgeeſtiſque (hîc enim ſubſtiterant donec tuguria omnia igne conſumerentur) hoſtes migrant. Toto autem illo itinere, quo in Meridiem ad ſocios ducebant, ſigna tantum militaria conſpici poterant, & via ipſa longius à civitate aberat: Vbi veró ad Pilam ventum eſt, & via Hubergana ſylvam attingit, in collem illa leniter aſſurgit. Hîc igitur non ſigna ſolum militaria, ſed ſe quoque integros ſpectandos præbent. Nullo enim tumulo, nulla arbore tegi poterant. Tormentis igitur quæ in colle (Kattam noſtri dicunt), ad ſylvaticam portam ſunt, mirum in modum exagitantur miſeri. Viſu jucundiſſimum fuit oppidanis, hoſtium aciem tormentorum crebris ictibus rumpi, eoſque laxatis ordinibus tamdiu curſu contendere, donec proximis collibus adverſùs tormentorum fulmina tegerentur. Totâ illâ nocte, quæ ſequuta eſt, tubæ, tympanaque receptui canentia, plauſtrorum item, curruumque impedimenta devehentium ſtrepitus auditi ſunt. Antè veró ipſum diluculum Meridionalia quoque caſtra incēdunt, rectaque Calmthoudium petunt: Excubias tamen equitum diſponunt, quæ ipſos certiores faciant, ſi noſtri eruptionem tentent. Vbi illuxerat Willugbæus 21. peditum ſigna, equiteſque omnes, aſſumtis ſecum minoribus tormentis (falcones vocat) duobus, portâ Woudanâ educit. His viſis hoſtium excubitores ſeſe proripiunt: Noſtri veró caſtra occupant. Et pedites quidem in Rotæ monte ſubſiſtunt, equites autem ulterius progreſſi ad poſtremum agmen perveniunt, hoſtemque ſannis proſequuntur, ut irritatus ſe converteret, & pugnandi copiam faceret. Quod quum fruſtrà fieret ad pedites ſunt reverſi. Sufficiebat enim tanti Regis exercitui turpē ac ignominioſum diſceſſum, fugæ haud abſimi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 853

absimilem exprobrasse. Pauci, qui in castris remanserant, à furibundo milite mactantur, servata tamen femina una atque altera est. Willugbæus postquam præfectos omnes in coronam convocasset, paucis præfatus & ad Verium, Knollium, Parkerum, Poulium, Anglos omnes, & Paulum Baxium Belgam conversus : Quia inquit, vetus & quidem landabilis consuetudo est, ut qui se viros in bello præstiterint, monumentum habeant suæ virtutis, fortitudinisque, atque ipse ego oculatus testis sim, omnia illa in vobis inesse, quæ in Equitibus, militibusque fortissimis requiruntur, cujus rei testem, hostem ipsum appello, qui suo malo maximo quales in armis sitis sæpius sit expertus, Serenissima Domina nostra, Angliæ Regina (ejus enim ego mandatum exequor) vos omnes equestri dignitate donat. Et singulos gladio, quà humeri collo nectuntur, leviter tangens, Regiæ, inquit, in vos benevolentiæ summæ, quod vestra virtute promeruistis, mnemosynon accipite. Illi gratias quam possunt maximas agunt, seque nullo unquam tempore quod nomine, dignitateque Equestri indignum sit, commissuros sanctè jurant, si pejerent, Deum Vindicem appellant. At cives, militesque, viri, feminæque, adolescentes ac virgines promiscuè portis effundi, ad castra hostium citato pede tendere, singula rimari, castrorum amplitudinem, munitionesque mirari, & prædas quoque agere. In utrisque enim castris magnam copiam ligonum, marrarum, plaustrorum, vasorũ, sclopporum, hastarum, loricarum, galearum, thoracum & omnis generis armorum, supellectilisque hostis reliquerat. In totam hiemem omnibus militibus & tenuioribus civibus lignum eadem castra suppeditarunt. Trabes siquidem, tignaque, quæ in proximus sylvis succide-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 853

rant, quibusque tiguria sibi ædificarant, flammâ (consumto stramine) mox deficiente, ambusta solummodò fuerant. Vrbe totâ ingens lætitia propter subitum & inexpectatũ hostium discessum oboritur. Quoniam verò Christianorum est, beneficia omnia ad ejus gloriam referre, à quo illa in nos collata sunt, decimo sexto Novembris die, D. O. M. Liberatori gratiæ publicè actæ sunt. Concione enim habitâ, à Divini Verbi Administris edocta plebs est, Vni Deo acceptum referri oportere, quòd civitas ab imminenti exitio liberata neque vi, neq; dolo opprimi potuerit. Preces quoque pro Ecclesiæ & Reipubl. conservatione, & omnibus iis, quorum nos Deus potestati subjecit, conceptæ sunt. Senatusconsultum posteà de Feriis Anniversariis, quæ stato tempore, die scilicet Novembris XIII. quotannis recurrerent, publicatum est. Sub vesperam tormentis, sclopis, tubis, tympanis, æramentis, nolis, acclamationibus, vocibusque Iò Triumphe ingeminantibus tota civitas personat. Vasa plurima pice perfusa, multoque ligno repleta undique sunt accensa. Crebri per omnes plateas ignes excitati. E turri majoris templi ardẽtes laternæ in modum coronæ appensæ, ignes missiles fusi. Baro Willugbæus, Morganus urbis Præfectus, Equitũ præfecti, ac peditum cẽturiones omnes, cives item Senatorii & Quæstorii Ordinis cum Senatu in Curiâ coenati sunt. Denique nihil omissum est corũ, quæ in publicis gaudiis, & triumphis fieri solent. At hostis ne videretur nihil egisse, Rosedaliam & Calmthoudium munit, ut oppidanos ab excursionibus prohibeat, id est, ut lateré lavet, quemadmodum vulgari proverbio dicitur. Et hæc quidem nostræ obsidionis, ejusdẽque solutionis historia est. Nostrũ itaque erit P. C. summum D. O. M. beneficium agnoscere non solum, sed

debitam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 853

debitam quoque animi gratitudinem verâ in Deum fide, & vitæ melioris institutione perpetuò declarare. Quod ut fiat, æternum Domini nostri Iesu Christi Patrem assiduis precibus interpellare non desinam.

FINIS.



AD LECTOREM.

Ne sequentes paginæ vacarent, asscripsi, quæ vides, Amice Lector, Epigrammata, ex eorum numero quæ olim ego nostræ obsidionis tempore obiter lusi, & nunc inter schedas repperi. Tu, quæ data sunt animo, accipe, & vale.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 853

DE CLASSE HISPANICA SVPERATA, ET FVGATA, IN STOLIDAM ET PETVLANTEM M. Eysingeri Austriaci jactantiam.

Moses aquas, & aquas Pharao est ingressus easdem,
Non animus, nons mens una duobus erat.
Commissum ille sibi Populum servare, sed ille
Perdere non meritos nititur Isacidas.
Ambobus dispar, longè & diversa voluntas,
Eventus parili non quoque sorte datus.
Ille maris meritò refluis perit obrutus undis,
Hic tutò siccum per mare carpit iter.
Navibus Hispanus, stravit quoque navibus æquor,
Quæ tenet illustri Sceptra Britanna manu.
Vt vota alterius votis contraria pugnant,
Exitus & rerum sic quoque dissimilis.
Regna aliena petit crudelis sævit Iberus,
Vt Sanctum Christi perdat Ovile lupus.
Sedula ceu Nutrix charissima pignora, Christi
Illa Gregem, & Populum protegit illa suum.
Classis Ibera, omni jam formidabilis Orbi,
Prædatum exierat, præda sed ipsa fuit.
Est illisa vadis, immissis ignibus arsit,
Et periit crebris dilacerata globis.
At Servatori Soteria debita Christo
Anglia, servatâ Classe, peregit ovans.
I nunc, & verbis Anglæ minitare superbis,
Austriace, Hispani froena, jugumque crepa.

EMB.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 853

EMBLEMA, IN HISPANVM, DVM SVO MALO SEPTENTRIONALE NOSTRI PORTVS Propugnaculum per proditionem occupare conatur, desumtum ex versu 15. Psal. 7.

Dum miser hic sudat, scrobem quò fodiat altam,
In quam viator irruat,
Præcipitem trahit ipsa hominem, subitâque ruinâ
Oppressus ipsus en jacet.
Dum nobis portum parat intercludere Iberus,
Dolis miser perit suis.

ALIVD DE CONFIDENTIA FIDElium, desumtum ex versu 12. Psal. 5.

Prævalido armatus clypeo nullum timet hostem,
Et flocci miles spicula missa facit.
Nos licet adversùs insurgant millia multa,
Imò homines quotquot totus hic Orbis habet.
Intrepidi vanos ridemus, Christe, furores,
Tanta Tuis Spes est in bonitate tua.

ALIVD, DE VANIS HOMINVM ADversùs Christum, ejùsque Ecclesiam conatibus, desumtum ex Psal. 2.


Quid Dominum contra Reges insurgitis? Illa
Consilia & tandem quid sibi vestra volunt?
Ictu vel minimo figulus diffringit ut ollas,
E fragili fictas, axe rotante, luto.
Non aliter solo vel nutu, quum lubet, omnes
Vos miseros perdet Maximus ille Deus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 853

ALIVD IN EANDEM SENTENTIAM DESVMtum ex verſ. 4. Pſal. 1.

Surgentem paleæ quamvis rapiuntur ad auram,
Nec rabiem venti ſuſtinuiſſe valent.
Non feret iratum Domini gens impia vultum,
In nihilum illius tota redacta manu.





Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 853

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 853

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 853

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
Pflt 853